BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 P
15
M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

26.5.13
26 26
C D
13 1

13-14 M 3

Prælectiones Academicæ

IN DVOS TIT: SINGVLARES IVRIS CANONICI:

I. De Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

II. De Vsuris. in quo & de Antichresi & censibus siue reditibus annuis.

Omnia in certa capita Lectorũ gratia coniecta.

AVCTORE

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO, IC. ET SACRORVM CANONVM IN CATHOLICA ET CELeberrima Academia Ingolstadiensi Professore Ordinario, & Primario

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, AC DOminum, Dn. IOAN. CONRADVM Episcopum Eistetensem.

Cum Gratia & Priuilegio Sac. Cæs. Maiest.

INGOLSTADII,

Excudebat ANDREAS ANGERMARIVS.

Impensis IOANNIS HERTSROY.

ANNO M. DC. IX.

Bibl. Sel. Coll. Rom. Soc. Sel. ex legato Am. Coccini

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO IOANNI CONRADO,

Ecclesiæ Eistetensis Episcopo, Academiæ Ingolstadiensis Cancellario, Domino suo clementissimo.

INter materias iuris Canonici, REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS, haud scio an vlla alia sit in qua hodie magis peccetur, quam in decimis, & vsuris: in decimis ideo, quod hæ passim commercio hominum subijciantur; non secus atque aliæ res humanæ: cum tamen ex institutione sua Deo debeantur, in exhibitionem ministrorum Ecclesiæ. Vt hinc ius earum spirituale sit, adeoque Sanctuarium Dei dicatur, nullamque ob id successionem hereditariam patiatur. Qui vero aliter

c. ad hæc. ext. de decimis.

ſentiunt, meminerint, quod à Gregorio Septimo Sanctiſſimo Pontifice conſtitutum in Concilio V. Lateranenſi: *Decimas quas in vſum pietatis conceſſas eſſe canonica auctoritas demonſtrat, à laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus, ſiue enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuslibet perſonis eas acceperint, niſi eccleſiæ reddiderint; ſciant ſe ſacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Iis tamen exceptis qui vel ſummi Pontificis beneficio, vel ſaltem ante Concilium generale Lateranenſe, ius decimandi conſecuti ſunt. Alium enim titulum laici obtendere non poſſunt, & ne quidem immemorialem pręſcriptionem; ſicut in hoc tractatu fuſius perſequimur.

c. decimas. 16. q. 7. & extat in corpore Conciliorum recentis editionis Coloniensis in Concilio Rom. V. canone 7.

Quod ad vſuras attinet, hæ abſque vllo ſenſu conſcientiæ vulgo exercentur; vel ſub prætextu eius quod intereſt, vel ſub ſpecie annui cenſus; vel ſub alio ementito titulo, contra dictum Chriſti: *Mutuum date nihil inde ſperantes*, contra illud pſalmographi: *Domine quis habitabit*

Luc. 6.

Pſalm. 14.

bit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, &c. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram;* Quos & Ecclesia pœnis suis persequitur: Eos non tantum declarans esse obnoxios restitutioni eorum quæ vsurarum nomine perceperunt, sed & si manifesti vsurarij sint priuentur & cõmunione & sepultura Christiana: imo & oblationes eorum repudientur, vt disertè cauetur cõstitutione Alexand. III, in Concilio Lateranensi his verbis: *constituimus, vt vsurarij manifesti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam (si in hoc peccato discesserint) accipiant sepulturam. Sed nec oblationes eorum quisquam accipiat.* Quin & eadem constitutione in eos animaduertitur qui vel oblationes eorum acceperint, vel sepulturæ Christianæ mandauerint, sub his verbis: *Qui autem acceperit,* oblationes nimirum, *vel Christianæ tradiderit sepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus.*

c.3.ext.de vsuris.

 Inserui

Inserui hic & de Antichresi, hoc est, de pacto pignoris, quando sic pignus à debitore creditori traditur, vt hic fructus interea percipiat & lucretur, donec sors debita exsoluta fuerit; quod demonstraui saluis sacris Canonibus fieri non posse. Item subiunxi de censibus siue reditibus annuis, quos ab vsurarum vitio vindicaui, & licitos esse comprobaui.

Quod autem REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS, hosce meos tractatus R. C. V. dico dedicoq;, suadet idipsum subiecta materia, quæ ad forum Ecclesiasticum vel inprimis spectat, in quo frequenter decimales causæ & vsurariæ controuerti & agitari solent: quãquam & vsurariç non minus ad seculare forum pertineant. Sed cum Cels. V. in ditione sua vtramq; potestatem tam secularem quam spiritualem, tanquam Princeps Imperij Ro. Ecclesiasticus, exerceat, iure meritoq; vterq; hic tractatus ipsi inscribitur. Accedit, quod cũ in hac Academia in annũ ferè vigesimum

ius

ius Canonicũ publicè doceo, rectè conuenire arbitratus ſum, vt vel ſaltem hoc munus Academicum, licet exile, Academiæ eiuſdem CANCELLARIO ſubmiſſe offerrem. Præterea, cum nuper abſente Mag: & Ampliſſ: viro, Domino PETRO STEVARTIO, eo me præ reliquis honore cumulauerit vt loco & nomine Celſ. V. tanquã Procancellarius candidatis Philoſophiæ Licentiæ gradum conferrem: Par igitur viſum fuit, vt erga Celſ. V. in referenda gratia, item gratum ſeu potius obſtrictum me magis, declararem. Itaq; à me accipiat hoc opuſculũ grati & obſeruantis animi ſignificationem. Deus Opt. Max. REVERENDISSIMAM & ILLVSTRISSIMAM CELS. V. ſibi, ſuæ Diœceſi & Academiæ noſtræ diutiſſime conſeruet præſtetq; incolumem. Ingolſtadij, ipſo die D. Gregorij Magni, Papæ, M. D C. IX.

R.^mæ & Ill.^mæ

Celſit. V.

Seruus

HENRICVS CANISIVS

Nouiomagus.

AD LECTOREM.

HABES *hic beneuole Lector, duos tractatus, de Decimis, Primitijs & Oblationibus. item de Vsuris, quos bis publice in Academia Ingolstadiẽsi prælegi Auditoribus meis, non quidem in modum tractatuum, sed per seriem capitulorum sub titulis Decretaliũ, de Decimis, Primitijs & Oblationibus, Necnon de Vsuris. Redegi autem in ordinem capitum iuxta dispositionem materiæ quæ in Decretalibus desideratur: idq; tui causa, vt statim in promptu habeas id quod per multa capitula discurrendo necesse erat inquirere. Præterea hic plura inserta sunt quam quæ dictaui Dominis Auditoribus, quæ & ad pleniorem cognitionem vehementer pertinent, quæ spero non inutilia fore. Tu igitur fruere, & conatum proba. Bene vale.*

AD

AD EXCELLENTISSIMVM ET CLARISSIMVM VIRVM D. HENRICVM CANISIVM, I. V. D. ET SACRORVM Canonum in Academia Ingolstadiensi Professorem Primarium.

INgens est campus Decimarum, & peruetus vsus,
  Quem lege Moses ipse sanxit in Sina.
Area permagna est Vsuris: quas tamen omnes
  Lex damnat & proscribit omnis vt Nefas.
Percurris campos spaciosos impiger illos
  CANISI diserte, iura decimarum asseris.
Exigis vsuras canibusq; armisq; malignas,
  Vtrumq; ius, ratioq; armant tibi manus.
Ciuica debetur Doctor venerande corona
  Non vna pro meritis tuo istis vertici.
Obseruat pridem te nostra Academia tantum
  Interpretem Canonum, atq; Iuris Principem.
Tot lustris sibi iam notum auditumq; Magistrum.
  Et Baldus illi consilio est & Bartolus.
Eminus applaudit mecum tibi Belgia nostra;
  Absentiam ciuis sui sic temperat.

Ioannes de Merode
Baro in Petershaim.

TRA-

TRactatus hos in Titulos de Decimis, Primitijs & oblationibus, item de Vsuris, à Clarissimo Iuris vtriusq; Doctore, & in Academia Ingolstadiana publico Professore, D. Henrico Canisio compositos, qua potui diligentia, legi. In ijs nihil, quod aut bonis moribus, aut fidei orthodoxæ sit aduersum, aduerti. Opus certe clarissimo autore dignissimum iudico, in quo quid maxime excellat vix video, perspicuitas doctrinæ, dispositio rerum, eruditio multa, an maturum iudicium? omnia inter se pari contentione certantia, ergo publico bono typis excusum, potest & debet in lucem abire.

Stephanus Vitus è Societate Iesu, S. Theologiæ Professor ordinarius, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.

ORDO

ORDO CAPITVM HVIVS TRACTATVS DE DECIMIS.

CAPVT I.

DE notione, origine & descriptione decimarum, & ex quibus rebus decimæ debeantur.

CAPVT II.

De diuisione decimarum, earumque inter se differentia.

CAPVT III.

Decimæ quo iure sint introductæ.

CAPVT IV.

Qui ad soluendas decimas teneantur. Item an decimæ possessorem prædij comitentur.

CAPVT V.

Vtrum pauperes ad decimarum præstationem teneantur.

CAPVT

CAPVT VI.

Vtrum Clerici & Monachi ad decimas teneantur.

CAPVT VII.

Decimas integras exsoluendas esse & quando, & vbi.

CAPVT VIII.

Decimæ quibus exsoluendæ.

CAPVT IX.

De consuetudine & præscriptione, quibus alieno Parocho vel Clerico decimæ prædiales adquiruntur.

CAPVT X.

De priuilegio, donatione, compromisso, transactione & permutatione, quibus alteri ecclesiæ decimæ adquiruntur.

CAPVT XI.

De decimis Noualium.

CAPVT XII.

De quarta decimali quæ Episcopo competit.

CAPVT XIII.

Laici an iuris decimandi capaces sint.

CAPVT XIV.

Vtrum laicus de decimis iure feudi inuestitus ante Concilium Lateranense, poßit alium laicum subfeudare? Et quid de feudo decimarum ad ecclesiam reuerso?

CAPVT XV.

De decimis per emptionem aut permutationem, aut similem titulum adquisitis.

CAPVT XVI.

Vtrum clericus per Parochum loci spoliatus decimandi iure, ante omnia restituendus sit? Et quid de laico eodem iure spoliato?

CAPVT XVII.

Quibus modis quis eximitur à præstatione decimarum.

CAPVT XVIII.

De iudicio decimarum.

CAPVT XIX.

De primitijs & oblationibus.

ORDO

ORDO CAPITVM DE VSVRIS.

CAPVT I.

Vsuræ notio, descriptio & quo iure vsura est interdicta.

CAPVT II.

Vsuras, ne quidem pietatis causa permissas esse, & an debitor vsuras recte paciscatur, aut soluat.

CAPVT III.

Vsuram committi etiam in emptione & venditione circa precium.

CAPVT IV.

De fœnore nautico & terreno, item de olla fortunæ.

CAPVT V.

De vsu pignoris & pacto antichreseos.

CAPVT VI.

Casus, quibus antichresis permissa est.

CAPVT VII.

De restitutione vsurarum.

CAPVT VIII.

De pœnis vsurariorum.

CAPVT IX.

De iudice vsurarum.

CAPVT X.

De censibus siue redditibus annuis.

CAPVT XI.

De modis siue conditionibus contractus censualis.

DE DECIMIS.

De notione, origine, & descriptione decimarum; & ex quibus rebus decimæ debentur.

CAPUT I.

Summaria.

1. *Notio nominis decimarum.*
2. *Decimarum vsus antiquissimus.*
3. *Lex diuina veteris testamenti de decimis.*
4. *Decimæ in signum vniuersalis dominij institutæ sunt.*
5. *Decimarum vsus etiam apud Ethnicos.*
6. *Descriptio decimarum apud Christianos.*
7. *An ex hæreditatibus legatis, aut ex simili causa lucratiua decimæ debeantur.*
8. *Decimas Christianorum ampliores esse decimis veteris testamenti.*
9. *Ratio, cur potius decima pars, non alia à iuris conditoribus electa fuerit.*

DECIMÆ, si notionem nominis spectes, nihil aliud sunt, quàm cuiusque rei decima pars; vnde & sæpe dicuntur decima, omissâ *parte.* Vlpian. in *l. 2. ff. de* 1.

pollicitationib. Si decimam quis bonorum vouit. Cicero in Verrem lib. 5. *affirmante se plus decuma non daturum.* per decumam intelligens decimam. Nam & hinc decumanus ager, ex quo scilicet decimæ vel decima pars fructuum penditur, apud eundem Ciceronem *lib. 2. de finib.* Decimæ in singulari numero quoque mentio fit *in c. 7. c. 15. ca. 17. & in ca. 19. extr. de decimis.* Sed frequentius plurali numero vtimur; quod vt plurimum multarum rerum decima pars simul soluatur; vel vt rectius dicam, vnius rei decima pars in soluendo sæpe iteretur, vt accidit in fructibus agrorum, arborum & similium.

2. Vsus vero decimarum persoluendarum peruetustus est: Nam legitur *Genes. 14. cap.* Abraham soluisse Melchisedech decimas ex manubijs hostium à se deuictorum. Cuius facti meminit & D. Paulus ad Hebræos cap. 7. his verbis: *Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Item *Genesis 28. cap.* traditur Iacob Patriarcha votum emisisse de soluendis decimis; *Si fuerit*, inquiens, *Deus mecum & custodierit me in via per quam ego ambulo, &c. cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Ecce

3. decimarum vsus ante omnem legem latam, pietatis quodam instinctu; donec postea Deus in veteri Testamento per Moisen eas sibi dari ab Israelitico populo præceperit, à quo tunc primum in necessitatem legis decimæ traductæ sunt, sicut constat Exod. 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis*

tardabis reddere. Leuitic.vlt.ca. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt*, & paucis interiectis. *Omnium decimarum bouis & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino: non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur; si quis mutauerit, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino & non redimetur.*

4. Igitur Deus lege lata per Moisen decimas sibi reddi voluit; non quod eis indigeret (cum omnia illius sint, iuxta illud Psalmi 23. *Domini est terra, & plenitudo eius*, & Psalm. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos; quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues; cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.*) Sed tantũ in signum vniuersalis dominij. *c. tua nobis 26. & c. cum non sit 33. extra de decimis.*

5. Sed & apud Ethnicos, quos cura aliqua religionis tangebat, sæpe legimus, decimas solutas dijs. Plinius *lib.19. ca.14.* tradit, ex thure quod ex Arabia Sabothon portabatur, decimas cuidam Deo fictitio, quem vocabant Sabin, non pondere sed mensura sacerdotes capere solitos fuisse. Idem de Cynamomo apud Ægyptios refert idem Plinius *eodem capite*. Memorat & Herodotus lib.1. Cyrum ad portam ciuitatis Lydorum quam diripuerant milites eius, custodes collocâsse ex suis satellitibus, qui prohiberẽt exportari opes, priusquam

quam decimæ Ioui redderentur. Diodorus *lib. 5.* & Plutarchus *in problem.* narrant quoq; Herculi decimas fuiſſe perſolutas. Plura huius rei exempla apud alios extant, quæ conſulto omittimus. Saltem ex his diſcimus, etiam apud Ethnicos habitam fuiſſe rationem decimarum, quaſi earum obligatio & ſolutio, quodammodo nobis inſit naturaliter proſpectu diuini cultus: Vt hinc mirũ non ſit, ſi & decimæ apud Chriſtianos lege & vſu receptę ſint, de quibushîc ex profeſſo tractabitur.

6. Quare Chriſtianorum decimas his verbis libet deſcribere: Quod ſint pars decima omnium eorum quæ quis licitè quauis ex cauſa adquiſiuit, miniſtris Eccleſiæ exſoluenda. Probant hanc deſcriptionem *text. in c. peruenit 5. cum ſeq. & paßim tit. extr. de decimis. præſertim in c. ex tranſmiſſa 23. in c. non eſt in poteſtate. 22. extr. eodem. in ca. decimæ. 16. q. 1. & in c. quicunque ead. q. 7.* Quibus locis diſertè cauetur, vt de fructibus terræ; veluti de vino, grano, fœno, de leguminibus, de fructibus arborum, hortorum, pecorum. Item de lucro negotiationis, militiæ, venationis; ac generaliter de omnibus acquiſitis, decimæ pendantur Eccleſiarum miniſtris: Conſequenter & de prouentibus molendinorum. *d. c. peruenit. & d. c. non eſt in poteſtate. & c. paſtoralis. 28. extr. eodem tit.* item de mercede elocatarum ædium. *c. penult. extr. de pactis.* de melle apium, de captu piſcium, *d. c. peruenit*, adeoque de lucro cuiuſque artificij ſiue profeſſionis. *d. ca. decimæ. verſ. de militia. & d. c. ex tranſmiſſa.* Et quam-

quamuis citati textus nominatim non meminerint, metallorum, lapidum, aucupij, syluarum; recte tamen continentur verbis. *d.c. non est in potestate, ibi. de omnib. bonis, & in d.c. ex transmissa. in vers. quia fidelis homo de omnib. quæ licitè potest adquirere decimas erogare tenetur.* Quibus verbis reliquarum rerum obuentiones & prouentus à iure non expressi, haud dubiè comprehenduntur: Cum & explorati iuris sit, metallorum, lapidum, syluarum & aucupiorum reditus inter fructus numerari. *l. item si fundi.* 10 *ff. de vsufructu.*

7. Sed quæsitum est, an etiam ex hæreditatibus, legatis & similibus, quę titulo lucratiuo alicui obueniunt, iure debeantur decimæ? Quod quidam existimant *per d. c. ex transmissa. extr. de decimis.* Verum alijs contrà magis videtur: hac ratione, quod hæ res neque ex terra, neque ex operis nostris proueniant, & subsequenter earum decimæ inter prædiales vel personales recenseri non possint, prout horum sententias refert, *glos. in d. ca. pastoralis* 28. *extr. de decimis.* & Innocentius *in ca. non est. extr. eod.* At Panormitanus *in d. c. pastoralis. nu.* 8. hac in re subsistit, nihil certi constituens: nisi quod putet consuetudinem in hac quæstione adeundam esse; optima enim (inquit) legum interpres est consuetudo. *c. cum dilectus, extra de consuetud.* Quæ sententia & mihi probatur; Nec enim dubium est in rebus quæ quotidie occurrunt, extare consuetudinem loci, quæ vel dictet decimas has soluendas vel non soluendas esse.

vrbanis prædijs. *l.eo iure 4.§ 1.ff. in quib. cauſ.pign.* aliâs ſi vrbanis prædijs cohærent, eiuſdem generis cenſentur, vtpote acceſſoria ad vrbana prædia. *d.l.vrbana.iuncto.c.acceſſorium.de reg.iu.lib.6.* Item ruſticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, ſyluæ & ſimilia, quæ cum prædia ſint vel eorum ſuperficies, idcirco recte decimarum functioni ſubijciuntur. *c.4.c.6.c.22.& paßim toto tit. extr.de decimis.*

Perſonales decimæ dicuntur quæ ex lucro operarum noſtrarum vel aliunde proſpectu perſonæ noſtræ debentur, veluti, ex negotiatione, militia, artificio aliaue profeſſione. Item ex venatione piſcatione alijsq; eiuſdẽ generis, ſicut ſup.cap.1. probauimus. *ex cap.non eſt in poteſtate.22.ex.de dec. ex.c.decimæ.16. q.1. & ex. d.c.peruenit.* Vbi tamen fructus prædij ex venatione, piſcatione vel aucupio conſtant, hi magis ad prędiales decimas pertinent. *l.venationem.26.ff. de vſur. & l.item. 8.§.aucupium.ff.de vſufruct.*

Miſtæ dicuntur decimæ, quæ partim prædiales ſunt partim perſonales: veluti, quæ ex fructibus pecorum, auiũ in prędijs noſtris colliguntur concurrente noſtra induſtria. *Hoſtien. in ſum.de decim. n.3. Nauarrus in Manuali c.21.n.29.*

2. Sed hoc intereſt inter prædiales & perſonales decimas, quod prædiales integræ ſoluantur nullis detractis expenſis, veluti ſeminis, culturę vel alterius rei, quod non eſt in perſonalibus, in quibus deductio admittitur expenſarum, quæ factę ſunt quæ-

quærendis, emendis & conuehendis mercibus. *c. pastoralis* 28. *cap. cum homines.* 7. *c. ex parte* 21. *cum duobus capp. seqq. c. tua nos.* 26. *extr. de decimis.* Quod adeo verum est, etiamsi expensæ non vtiliter sed pro arbitrio mercatoris factæ essent, dummodo non in fraudem decimarum: sicut ex Innocent. & alijs tradit Petrus Rebuffus *de decimis quæst.* 11. *num.* 4. Exemplo id illustretur: Centum aureos in merces comparandas impendi, eas postea vendidi centum & quinquaginta, hîc priusquam decimæ ex dicta summa centum & quinquaginta præstentur; subducam inprimis, centum, quibus merces emptæ sunt, deinde portoria & vectigalia, & impendia itineris, & si forte his omnibus deductis remanserint ex lucro viginti; tenebor ad duos aureos decimarum nomine. Quod non est in prædialibus decimis, vt ante dictum est.

3. Quibus certe quo ad prædiales decimas obstare videtur textus *in l. si à patre vel à domino* 39. §. *fi. ff. de petit. hæred.* quo loco non intelliguntur fructus, nisi deductis impensis: His enim verbis vtitur ibi Paulus I.C.tus: *Fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verumetiam in prædonibus. Idem confirmat textus in l. fructus.* 7. *ff. solut. matrimo. & in l.* 1. *C. de fructibus & litium expens.* Sed cur diuersum obtinet in his prędialibus decimis? Ideo, quod Deus prædiales decimas in signum vniuersalis dominij sibi reserua-

8. Ex quibus certe perspicuum est, quod licet Christianorum decimæ potissimum ad exemplum siue imitationem veteris Testamenti introductæ sint, *vt cap.3. infra latius dicetur*: Longe tamen illas ab his distare: vtpote, quod in Testamento veteri non nisi de frugibus & arborum pomis, & de animalibus quæ sub virga pastoris transibant, decimæ exsoluerentur, non vero de alijs rebus, *Leuitic. cap. vlt. Dominicus Soto de iustit. & iure. lib. 9. quæst. 4. art. 2.* vbi & huius rationem reddit.

Atq; hæc de decimis, de quibuslibet obuentionibus soluẽdis, iuxta præscripta sacrorum canonum; quibus an derogetur, consuetudine, præscriptione vel alijs modis. *infra c. 17. tractabitur.*

9. Ceterum hîc dispiciendum est, cur potius decima pars quàm nona vel alia minor à conditoribus iuris electa fuerit? Hæc ratio redditur, quod denarius numerus perfectus sit, & quodammodo limes omnium numerorum; siquidem post eum vltra non proceditur, sed reiteratio fit ab eodem ad alium numerum duplicem vel triplicem, & sic deinceps: Vnde denarius numerus rectius quam alius Deo conuenire visus est, vtpote omnium rerum perfectissimo, *ex mente D. Thomæ in 2.2.q.87. in respons.* Cui adde quæ de perfectione & dignitate numeri denarij tradit Andr. Tiraquel. *in tractatu de præscriptionibus. §1. glossa 4. in princ.*

Ca-

CAPVT II.

De Diuisione decimarum, earumq́ inter se differentia.

Summaria.

1. *Decimarum prima diuisio, in personales, prædiales, & mixtas.*
2. *Differentia earum.*
3. *Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, præterquam in prædialibus decimis.*
4. *Decimarum altera diuisio.*
5. *De decimis extraordinarijs.*

EX his, quæ superiori capite dicta sunt, tria decimarum genera nascuntur. Aut enim sunt decimæ prædiales, aut personales, aut ex vtrisque mixtæ. Prædiales sunt quæ ratione prædiorum soluuntur, vnde & nomen sortitæ sunt. Prædia autem vel vrbana sunt, vel rustica. *l.1.ff. communia prædiorum.* Vrbana dicuntur ædificia habitandi causa facta, siue in vrbe siue extra vrbem, *l. vrbana 198.ff. de verborum signification.* ex quorum mercede locationis, decimæ præstantur. *c.pen.extr.de pactis.* quemadmodum & ex molendinorum prouentibus, vt priore capite meminimus *per tex.in c.peruenit.5.& c.ex transmissa 23.ext. hoc tit.* Rustica prædia sunt, reliqua ædificia habitandi causa non præparata, sed in alium vsum; vt sunt stabula, ouilia & similia, disiuncta tamen ab 1.

8. Ex quibus certe perspicuum est: quod licet Christianorum decimæ potissimum ad exemplum siue imitationem veteris Testamenti introductæ sint, *vt cap.3. infra latius dicetur*: Longe tamen illas ab his distare: vtpote, quod in Testamento veteri non nisi de frugibus & arborum pomis, & de animalibus quæ sub virga pastoris transibant, decimæ exsoluerentur, non vero de alijs rebus, *Leuitic.cap.vlt. Dominicus Soto de iustit. & iure. lib.9. quæst.4. art.2.* vbi & huius rationem reddit.

Atq; hæc de decimis, de quibuslibet obuentionibus soluẽdis, iuxta præscripta sacrorum canonum; quibus an derogetur, consuetudine, præscriptione vel alijs modis. *infra c.17. tractabitur.*

9. Ceterum hîc dispiciendum est, cur potius decima pars quàm nona vel alia minor à conditoribus iuris electa fuerit? Hæc ratio redditur, quod denarius numerus perfectus sit, & quodammodo limes omnium numerorum; siquidem post eum vltra non proceditur, sed reiteratio fit ab eodem ad alium numerum duplicem vel triplicem, & sic deinceps: Vnde denarius numerus rectius quam alius Deo conuenire visus est, vtpote omnium rerum perfectissimo. *ex mente D. Thomæ in 2.2.q.87. in respons.* Cui adde quæ de perfectione & dignitate numeri denarij tradit Andr. Tiraquel. *in tractatu de præscriptionibus.* §1. *glossa* 4. *in princ.*

Ca-

CAPVT II.

De Diuisione decimarum, earumq́ inter se differentia.

Summaria.

1. *Decimarum prima diuisio, in personales, prædiales, & mixtas.*
2. *Differentia earum.*
3. *Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, præterquam in prædialibus decimis.*
4. *Decimarum altera diuisio.*
5. *De decimis extraordinarijs.*

EX his, quæ superiori capite dicta sunt, tria decimarum genera nascuntur. Aut enim sunt decimæ prædiales, aut personales, aut ex vtrisque mixtæ. Prædiales sunt quæ ratione prædiorum soluuntur, vnde & nomen sortitæ sunt. Prædia autem vel vrbana sunt, vel rustica. *l.1.ff. communia prædiorum.* Vrbana dicuntur ædificia habitandi causa facta, siue in vrbe siue extra vrbem, *l. vrbana 198.ff. de verborum signification.* ex quorum mercede locationis, decimæ præstantur, *c.pen.extr.de pactis.* quemadmodum & ex molendinorum prouentibus, vt priore capite meminimus *per tex.in c.peruenit.5.& c.ex transmissa 23.ext. hoc tit.* Rustica prædia sunt, reliqua ædificia habitandi causa non præparata, sed in alium vsum; vt sunt stabula, ouilia & similia, disiuncta tamen ab 1.

8. Ex quibus certe perspicuum est. quod licet Christianorum decimæ potissimum ad exemplum siue imitationem veteris Testamenti introductæ sint, *vt cap.3. infra latius dicetur*: Longe tamen illas ab his distare: vtpote, quod in Testamento veteri non nisi de frugibus & arborum pomis, & de animalibus quæ sub virga pastoris transibant, decimæ exsoluerentur, non vero de alijs rebus, *Leuitic.cap.vlt. Dominicus Soto de iustit. & iure. lib.9.quæst.4.art.2.* vbi & huius rationem reddit.

Atq; hæc de decimis, de quibuslibet obuentionibus soluẽdis, iuxta præscripta sacrorum canonum; quibus an derogetur, consuetudine, præscriptione vel alijs modis. *infra c. 17. tractabitur.*

9. Ceterum hîc dispiciendum est, cur potius decima pars quàm nona vel alia minor à conditoribus iuris electa fuerit? Hæc ratio redditur, quod denarius numerus perfectus sit, & quodammodo limes omnium numerorum; siquidem post eum vltra non proceditur, sed reiteratio fit ab eodem ad alium numerum duplicem vel triplicem, & sic deinceps: Vnde denarius numerus rectius quam alius Deo conuenire visus est, vtpote omnium rerum perfectissimo. *ex mente D. Thomæ in 2.2.q.87. in respons.* Cui adde quæ de perfectione & dignitate numeri denarij tradit Andr. Tiraquel. *in tractatu de præscriptionibus.* §1. *glossa* 4. *in princ.*

CA-

CAPVT II.

De Diuisione decimarum, earumq́; inter se differentia.

Summaria.

1. *Decimarum prima diuisio, in personales, prædiales, & mixtas.*
2. *Differentia earum.*
3. *Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, præterquam in prædialibus decimis.*
4. *Decimarum altera diuisio.*
5. *De decimis extraordinarijs.*

EX his, quæ superiori capite dicta sunt, tria decimarum genera nascuntur. Aut enim sunt decimæ prædiales, aut personales, aut ex vtrisque mixtæ. Prædiales sunt quæ ratione prædiorum soluuntur, vnde & nomen sortitæ sunt. Prædia autem vel vrbana sunt, vel rustica. *l. 1. ff. communia prædiorum.* Vrbana dicuntur ædificia habitandi causa facta, siue in vrbe siue extra vrbem, *l. vrbana 198. ff. de verborum signification.* ex quorum mercede locationis, decimæ præstantur. *c. pen. extr. de pactis.* quemadmodum & ex molendinorum prouentibus, vt priore capite meminimus *per tex. in c. peruenit. 5. & c. ex transmissa 23. ext. hoc tit.* Rustica prædia sunt, reliqua ædificia habitandi causa non præparata, sed in alium vsum; vt sunt stabula, ouilia & similia, disiuncta tamen ab 1.

8. Ex quibus certe perſpicuum eſt: quod licet Chriſtianorum decimæ potiſſimum ad exemplum ſiue imitationem veteris Teſtamenti introductæ ſint, *vt cap.3. infra latius dicetur:* Longe tamen illas ab his diſtare: vtpote, quod in Teſtamento veteri non niſi de frugibus & arborum pomis, & de animalibus quæ ſub virga paſtoris tranſibant, decimæ exſoluerentur, non vero de alijs rebus, *Leuitic.cap.vlt.Dominicus Soto de iuſtit, & iure. lib.9.quæſt.4.art.2.* vbi & huius rationem reddit.

Atq; hæc de decimis, de quibuslibet obuentionibus ſoluēdis, iuxta præſcripta ſacrorum canonum; quibus an derogetur, conſuetudine, præſcriptione vel alijs modis. *infra c.17.tractabitur.*

9. Ceterum hîc diſpiciendum eſt, cur potius decima pars quàm nona vel alia minor à conditoribus iuris electa fuerit? Hæc ratio redditur, quod denarius numerus perfectus ſit, & quodammodo limes omnium numerorum; ſiquidem poſt eum vltra non proceditur, ſed reiteratio fit ab eodem ad alium numerum duplicem vel triplicem, & ſic deinceps: Vnde denarius numerus rectius quam alius Deo conuenire viſus eſt, vtpote omnium rerum perfectiſſimo. *ex mente D. Thomæ in 2.2.q.87. in reſponſ.* Cui adde quæ de perfectione & dignitate numeri denarij tradit Andr. Tiraquel. *in tractatu de præſcriptionibus.§1.gloſſa 4.in princ.*

CA-

CAPVT II.

De Diuisione decimarum, earumq́ inter se differentia.

Summaria.

1. *Decimarum prima diuisio, in personales, prædiales, & mixtas.*
2. *Differentia earum.*
3. *Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, præterquam in prædialibus decimis.*
4. *Decimarum altera diuisio.*
5. *De decimis extraordinarijs.*

1. EX his, quæ superiori capite dicta sunt, tria decimarum genera nascuntur. Aut enim sunt decimæ prædiales, aut personales, aut ex vtrisque mixtæ. Prædiales sunt quæ ratione prædiorum soluuntur, vnde & nomen sortitæ sunt. Prædia autem vel vrbana sunt, vel rustica. *l.1.ff. communia prædiorum.* Vrbana dicuntur ædificia habitandi causa facta, siue in vrbe siue extra vrbem, *l. vrbana 198.ff. de verborum signification.* ex quorum mercede locationis, decimæ præstantur. *c.pen.extr.de pactis.* quemadmodum & ex molendinorum prouentibus, vt priore capite meminimus *per tex.in c.peruenit.5.& c.ex transmissa 23.ext. hoc tit.* Rustica prædia sunt, reliqua ædificia habitandi causa non præparata, sed in alium vsum; vt sunt stabula, ouilia & similia, disiuncta tamen ab

vrbanis prædijs. *l.eo iure 4.§ 1.ff. in quib. cauſ.pign.* aliâs ſi vrbanis prædijs cohærent, eiuſdem generis cenſentur, vtpote acceſſoria ad vrbana prædia. *d.l.vrbana.iuncto.c.acceſſorium.de reg.iu.lib.6.* Item ruſticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, ſyluæ & ſimilia, quæ cum prædia ſint vel eorum ſuperficies, idcirco recte decimarum functioni ſubijciuntur. *c.4.c.6.c.22. & paßim toto tit. extr.de decimis.*

Perſonales decimæ dicuntur quæ ex lucro operarum noſtrarum vel aliunde proſpectu perſonæ noſtræ debentur, veluti, ex negotiatione, militia, artificio aliaue profeſſione. Item ex venatione piſcatione alijsq; eiuſdẽ generis, ſicut ſup.cap.1. probauimus. *ex cap.non eſt in poteſtate.22.ex.de dec. ex.c.decimæ.16. q.1. & ex. d.c.peruenit.* Vbi tamen fructus prædij ex venatione, piſcatione vel aucupio conſtant, hi magis ad prędiales decimas pertinent. *l. venationem.26.ff. de vſur. & l.item.8.§.aucupium.ff.de vſufruct.*

Mixtæ dicuntur decimæ, quæ partim prædiales ſunt partim perſonales: veluti, quæ ex fructibus pecorum, auiũ in prędijs noſtris colliguntur concurrente noſtra induſtria. *Hoſtien. in ſum.de decim. n.3. Nauarrus in Manuali c.21.n.29.*

2. Sed hoc intereſt inter prædiales & perſonales decimas, quod prædiales integræ ſoluantur nullis detractis expenſis, veluti ſeminis, culturę vel alterius rei, quod non eſt in perſonalibus, in quibus deductio admittitur expenſarum, quæ factę ſunt

quæ-

quærendis, emendis & conuehendis mercibus. *c. pastoralis 28. cap. cum homines. 7. c. ex parte 21. cum duobus capp. seqq. c. tua nos. 26. extr. de decimis.* Quod adeo verum est, etiamsi expensæ non vtiliter sed pro arbitrio mercatoris factæ essent, dummodo non in fraudem decimarum: sicut ex Innocent. & alijs tradit Petrus Rebuffus *de decimis quæst.* 11. *num.* 4. Exemplo id illustretur: Centum aureos in merces comparandas impendi, eas postea vendidi centum & quinquaginta, hîc priusquam decimæ ex dicta summa centum & quinquaginta præstentur; subducam inprimis, centum, quibus merces emptæ sunt, deinde portoria & vectigalia, & impendia itineris, & si forte his omnibus deductis remanserint ex lucro viginti; tenebor ad duos aureos decimarum nomine. Quod non est in prædialibus decimis, vt ante dictum est.

3. Quibus certe quo ad prædiales decimas obstare videtur textus *in l. si à patre vel à domino* 39. *§. fi. ff. de petit. hæred.* quo loco non intelliguntur fructus, nisi deductis impensis: His enim verbis vtitur ibi Paulus I.C.tus: *Fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verumetiam in prædonibus. Idem confirmat textus in l. fructus. 7. ff. solut. matrimo. & in l. 1. C. de fructibus & litium expens.* Sed cur diuersum obtinet in his prædialibus decimis? Ideo, quod Deus prædiales decimas in signum vniuersalis dominij sibi reseruaerit,

uerit. *c.cum non sit.33. & c.tua nobis 26.extr. de decimis.* vsque adeo, vt etiam ante exactionem tributorum & cēsuum qui Principi penduntur, deduci iubeantur decimæ, aut non deductæ tanquā onus annexum tributa & census comitentur. *d.c. cum non sit.* Intellige vero hanc reseruationem à Deo factam, nō in nouo sed in veteri Testamento *Leuitici cap. vlt.* cuius verba superiore capite recitauimus: quod postea secuti sacri canones idem apud Christianos statuerunt.

Vt & hinc, cum Deus in veteri Testamento non reseruauerit sibi decimas personales, ideo expensæ ex his recte deducantur. *d.c. pastoralis.* locumque habet iuris communis regula: quâ lucrū non intelligitur: nisi deducto omni damno, quod & in expensis factis consistit. *l. Mutius 30. ff. pro soc.* Verum cum hodie vix aut rarior vsus sit personalium decimarum, non est quod his longius immoremur.

4. Solent quoque vulgo decimæ prædiales diuidi in maiores & minores siue minutas. Maiores sunt, quæ ex frumento, vino, oleo, alijsq; eiusdem generis penduntur. Minores siue minutæ, quæ ex hortis & partu animalium præstantur *ex c. tua & ibi glossa extr. de decimis.*

5. Nonnunquam fit, quod summus Pontifex ecclesiasticis prouentibus decimas extra ordinem imponat. *c. 2. de decimis in Clement. & c. 1. eod. in Extrauag. communib.* de quibus late Petrus Gregorius *in Syntagmate lib. 2. c. 20. num. 3. & seqq.* quæ huc non

non pertinent; Nos enim hoc loco de decimis agimus quæ ex præſcripto ſacrorum canonum, & ſic conſtituto & ordinario iure, ſoluuntur Eccleſiæ miniſtris.

CAPVT III.

Decimæ quo iure ſint introductæ.

Summaria.

1. *Difficultas huius capitis propter diuerſas Doct.ſententias.*

2. *Sententia eorum, qui decimas diuini iuris eſſe aſſerunt.*

3. *Authoritates pro hac ſententia. & num. 4. 5. & 6.*

7. *Verior ſententia. & num. 9.*

8. *Verba D.Thomæ hac de re.*

10. *Præcepta veteris Teſtamẽti triplicia quæ per Chriſti mortem abolita.*

11. *Præcepta veteris Teſtamenti per Principem reſtitui poſſe.*

12. *Quomodo Clerici ſucceſſerint in locum Leuiticæ tribus.*

13. *Argumenta prioris ſententiæ diluuntur. & n. 14.*

PErquam difficilis quæſtio eſt & ſummè controuerſa inter Theologos & Canoniſtas, quonam iure introductæ ſint decimæ, diuino an humano 1.

mano siue Ecclesiastico? Quam quæstionem præ cæteris, duobus libris prosecutus est Conradus Somerhart *in tractatu de decimis.* Neque hæc quæstio effectu caret: si enim statuamus præstationem decimarum esse diuini iuris; consequens erit, omnes homines peræquè teneri ad functionem decimarum, nec vlla consuetudine, præscriptione temporis vel priuilegio siue alio titulo, ab ea excusari posse. Quippe ius diuinum omnes comprehendit adeoque immutabile est. *c. si consuetudinem & c. seq. dist. 8. c. fi. extr. de præscriptionib. & c. sunt quidam. 25. q. 1.* Sin humani iuris esse dixerimus, nihil è diuerso impediet, quin contraria consuetudine, præscriptione siue priuilegio, siue alio titulo legitimo, prestationi decimarum derogari possit. *c. fin. & ibi Doct. extr. de consuetudine.*

2. Et quidem Innocẽtius *in c. vlt. extr. de parochijs,* existimat indistinctè tam personales quam prædiales decimas iure diuino deberi. Cui adstipulantur *Glossa in c. 1. in verb. decimarum, de decimis lib. 6. Petrus Rebuffus in tractatu de decimis q. 1. num. 11. & communi calculo alij, teste Philippo Franco in d. c. 1. ex Ioanne Andræa (licet in meo Codice hanc sententiam Ioan. Andr. non repererim)*: Alij vero distinguunt inter prædiales & personales decimas; illas asserentes diuino iure deberi; personales non nisi ex præscripto iuris Ecclesiastici. *Hostiensis in Summa de decimis. q. 7. secutus Hugonẽ Cardinalem, & plures eiusdem opinionis recenset Did. Couarr. var. resol. lib. 1. cap. 17. vers. sunt tamen hac in re*: Sed & Alciatus

lib. 1.

Digitized by Google

lib.1.consl.22.in pr. eiusdem sententiæ est, dum vult, prædiales decimas deberi de iure diuino: atque hanc esse, ait, *Communem & Canonizatam vbique conclusionem.* Personalium decimarum *ibidem* non meminit, quas tamen multo magis vult deberi Innocentius *in d.c. vlt. extr. de parochijs*: eo quod decimæ ex nostris operis prouenientes digniores sint, quam quas tellus reddit. Quin idem Innocentius *d. loco* eos qui negant deberi personales decimas, tanquam insanos & hæreticos pronuntiat, quod refragentur præcepto veteris Testamenti. Deuteronomij 12. *Offeretis*, inquit textus, *in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum.* Verum minus rectè hæc Innocentius; vt in progressu videbitur.

Atque horum sententia, qui putant prædiales decimas esse diuini iuris, multis locis stabiliri videtur; Inprimis veteris Testamenti præceptis *Leuitici vlt. Malach.3. Deuteron.12. & 14. Numer. 18. Exod.22.* His enim locis decimæ iubentur solui Leuiticæ tribui, cui clerus noster in nouo Testamento successit. *c. translato 3. extr. de constitutionib.* Deinde ex illa Christi exprobratione in Scribas & Pharisæos, Matth.23.cap. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem; hæc oportuit facere & illa non omittere.* Quibus profectò verbis, innuit Christus decimas præstandas esse, ac proinde earum præstatio diuini iuris videtur: Eodem spectat

spectat & illud eiusdem Matthæi: *nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum:* Et quod paulo ante ibidem dixit Christus: *Non veni soluere sed adimplere legem:* Item, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22. Vt igitur tributa & census Cæsari penduntur, ita similiter Deo decimæ.

4. Tertio ad eiusdem sententiæ confirmationem, accedant auctoritates SS. Canonum, quibus idem euinci videtur; nam textus in c. tua nobis. extr. de decimis his verbis vtitur: *Decimæ quas Deus in signũ vniuersalis dominij sibi reddi præcepit*, in c. tua 25. eodem, *neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ diuina constitutione debentur*: in c. parochianos. 14. eodem, vbi nihil expressius: *cum decimæ non ab homine sed ab ipso Domino sint institutæ.* Quo etiam fit, vt grauiter interdicatur concionatoribus, ne quidquam proponant publicè vel priuatim, quo auditores auertantur à solutione decimarum, sed potius contra inducant ad soluendas decimas. *c. 1. de decimis. in 6.*

5. Quibus adijciantur sanctorum Patrum testimonia, videlicet *Augustini in c. decimæ 16. q. 1. & in c. maiores. ead. q. 7. Ambrosij in c. quicunque recognouerit. ead. q. 7. Hieronymi in c. reuertimini & in c. vlt. 16. q. 1. & Gregorij in c. 1. d. q. 7.* Qui quatuor principales Doctores inquit Hostiensis *in summa de decimis q. 7.* in eo conueniunt, quod decimæ soluendæ sint ex debito sine mora, & integrè, non obstante consuetudine.

Postre-

Postremo his addatur decretum Concilij Tridentini sess.25.cap.12.de reformat.sub his verbis: *Non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: Cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus, omnibus cuiuscunque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas ad quas de iure tenentur in posterum Cathedrali aut quibuscunque Ecclesijs vel personis quibus legitimè debentur, integrè persoluant.* Ex quo decreto Concilij Tridentini liquet, decimarum solutionem fieri Deo; & consequenter videri eas diuini iuris esse. 6.

Ceterum his omnibus nihil impedientibus, veriorem eorum sententiam arbitramur qui censent decimarum præstationem partim esse iuris diuini & naturalis; partim humani siue Ecclesiastici: Diuini & naturalis, quatenus decimæ subseruiunt alimentationi seu exhibitioni clericorum, propter Christi sententiam: *Dignus est operarius mercede sua*, Luc.10. Matth.10. repetitam à D.Paulo 1.ad Timoth.5. Cuius sunt & hæc verba: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant:* 1.ad Corinth.9.adde c.cum secundũ.16.extr.de præbend.& c.ex his.12.q.1. Igitur prospectu alimentationis clericorum, decimæ iuris diuini sunt; tum & in eundem finem spectatæ, iuris 7.

ris naturalis, iuxta iuris ciuilis regulam: *Secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* l. secundum naturam, ff. de reg. iur. Quatenus vero decimæ excedunt exhibitionem clericorum, esse iuris Ecclesiastici, id est, humani: Cuius hæc ratio est, quod nulla lege diuina apud Christianos cautum sit, vt decimæ, id est, decima pars fructuũ, præcise exoluantur. Non igitur quoad hoc, decimæ diuini iuris sunt. *D. Tho. in 2. 2. q. 87. art. 2. in 2. argumento & eiusdem responsione, quem Soto, Caietanus & Theologi omnes communiter sequuntur, teste Gregorio de Valentia tom. 3. commentariorum Theologicorum disput. 6. q. 5. de decimis, punct. 1. vers. vt hæc omnia, & Did. Couarru. lib. 1. variarum resolut. cap. 17. num. 2. vers. præterea. vbi & plures eiusdem sententiæ enumerat.* Quippe sub lege Euangelica, solum quæ spectant ad legem pure diuinam tenemur facere quæ à Christo per eius Apostolos nobis præcepta sunt, iuxta illud Matthæi vlt. cap. *docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*: At de soluendis decimis nec in Euangelijs, nec apud Apostolos præceptum extat, &c. *D. Thomas & Couarr. iam allegatis locis*: Intellige vero, quo ad ipsam quotã, id est, decimam partem quæ alimẽtationi ministrorum Ecclesiæ non subseruit.

8. Lubet hic Sancti viri & Theologorum Scholasticorum facile principis verba subijcere ad maiorem huius rei illustrationem. Is igitur D. Thomas d. q. 87. art. 1. in respons. ita loquitur: *Decimæ in veteri*

In veteri lege, dabantur ad sustentationem ministrorum Dei: vnde dicitur Malachiæ 3. inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea: Vnde præceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale inditum naturali ratione, partim autem iudiciale ex diuina constitutione robur habens. Quo enim eis, qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret; ratio naturalis dictat: sicut & his qui communi vtilitati inuigilant, scilicet, Principibus & militibus, & alijs huiusmodi, stipendia victus debentur à populo. Vnde & Apostolus hæc probat, 1. ad Corinth. 9. per humanas constitutiones dicens: Quis militat suis stipendijs vnquam? aut quis plantat vineam & de fructibus eius non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris diuini cultus non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina in veteri Testamento, secundum constitutionem illius populi, cui lex dabatur, qui cum in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus, scilicet, Leuitica, quæ tota erat diuinis ministerijs mancipata, possessiones non habebat: Vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ vndecim tribus, decimam partem suorum prouētuum Leuitis darent, vt honorabilius viuerent, & quia etiam aliqui per negligentiā erant transgressores futuri. Vnde quantum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale.

Et nonnullis interiectis pergit ita D. Thomas: *Ita etiam determinatio decimæ partis soluendæ, est auctoritate Ecclesiæ tempore nouæ legis instituta, secundum quandam humanitatem, vt, scilicet, non minus populus*

 pulus

pulus nouæ legis ministris noui Testamenti exhiberet, quam populus veteris Testamenti exhibebat, &c. Hæc D. Thomas.

9. Ex quibus planum fit, decimas Christianorum quatenus subseruiunt exhibitioni clericorum, esse iuris naturalis adeoque diuini; quotam vero decimarum in veteri quidem lege fuisse diuini iuris; at in noua lege Euangelica eam esse iuris humani siue Ecclesiastici. Dixi, quatenus *subseruiunt exhibitioni clericorum*, nam si clerici aliunde ex obuentionibus ecclesiæ sustentationem habent, ne tunc quidem decimæ iuris naturalis vel diuini erunt: Cum hoc casu cessent rationes cur decimæ naturalis & diuini iuris esse dicantur; videlicet hæ; *dignus est operarius mercede sua: quis militat suis stipendijs vnquam?* & similes. Quippe cessante ratione legis, cessat & ipsa lex *l. adigere. 6. §. quamuis ff. de iure patrona, &c. cum cessante. 60. in pr. extr. de appellationib.*

10. Nec mouent auctoritates pro contraria sententia supra allatæ. Quod enim attinet ad præcepta veteris Testamenti, quibus mandatum erat Israelitico populo decimas inferre Leuiticæ tribui; illa per mortem Christi abolita sunt, vt & cætera præcepta eiusdem Testamenti. *D. Thomas in 1. 2. q. 103. art. 3. ad secundum. Dominicus Soto de iustitia & iure lib. 2. q. 5. art. 4. Martinus Nauarrus in Manuali cap. 21. num. 28. Didac. Couarr. variarum resol. lib. 1. cap. 17. in pri. præsertim Gregorius de Valentia tomo 2. commentar. Theolog. disput. 7. q. 7. puncto 7.*

Erant

Erant vero triplicis generis præcepta veteris Testamenti: Aut enim ceremonialia, aut iudicialia, aut moralia. Ceremonialia pertinebant ad diuinum cultum Deo rite exhibendum: *vt videre est Leuitici cap.1.cum seqq.* Iudicialia subseruiebant iustitiæ recte in Republica Iudæorũ administrandæ. *Exod.cap.21.cum seqq.& Leuit.*18. Moralia vero ad morum disciplinam spectabant; veluti, honora patrem tuum, & matrem tuam, non occides, nõ furaberis, & similia, vt videre licet, *Exod.*20.*cap.* De quibus latius D. Thom.in 1.2.q.99.art.4. Et quidem hæc omnia præcepta, quatenus fuerunt veteris Testamenti, per mortem Christi sublata sunt, vt & ante meminimus: Licet moralia præcepta, vi naturalis rationis cui innituntur, perpetuo durent & obligent; non tamen vt sunt præcepta veteris Testamenti; sicut docet Gregorius de Valentia *iam citato loco.* Adde & Did. Couarr. *d.c.*17. *nu.*1. Inter quæ non annumerabatur præceptum de decimis, quod iudiciale fuit, non morale, nisi quatenus illę deseruiebant alimentationi Leuiticæ tribus, sicut & hodie exhibitioni clericorum, vti ante dictum est.

11. Non dubiũ tamen est, quin veteris Testamenti præcepta (exceptis ceremonialibus quæ præfigurabant Christi futura mysteria, vt est immolatio agni, circũcisio & similia) rursus repeti, & in vsum Christianorum traduci possint per summũ Pontificem, aut etiã per Principem Christianum noua lege lata; quemadmodum multis locis videre

est, in decretalibus, *c.1.extr. de adulter.c.1. extr. de furtis.c.1.extr.de homicid.c.1. cum 4.seqq.extr. de iniur.tum alibi.* Quæ tamen in vsum reuocata non tam veteris Testamenti erunt quam nouæ leges Ecclesiasticæ siue humanæ; vtpote noua sanctione per Principem renouatæ & restitutæ, vt accidit & in decimis veteris Testamenti, quæ per Christi mortem abrogatæ, iterum à sacris canonibus repetitæ sunt.

12. Quod vero diximus, clericos noui Testamenti successisse in locum Leuiticæ tribus *ex c.translato. extr.de constitutionib.* non eum sensum habet, quasi etiam decimarum præceptũ simul ad nostros clericos transierit; sed quod per Christum cessauerit ministeriũ Leuiticæ tribus, alio sacerdotio illi surrogato, abrogatisque legalibus præceptis.

13. Quare neq; obstant loca noui Testamenti, supra adducta. Nam quod attinet ad illud Matthæi cap.23. *Væ vobis Scribis & Pharisæis,* &c. eo quidem Christus cõprobauit decimas, sed quatenus erant adhuc præcepti veteris Testamenti quod tunc nondum per mortem Christi expirauerat.

Ad illud vero, *nisi abundauerit iustitia vestra,* &c. quamuis idem responderi posset, nondum per mortem Christi cessasse; tamen separatim, volunt Theologi; hoc ideo Christum dixisse, quod Scribæ & Pharisæi tantummodo vacarent exterioribus officijs præstandis, interiora autẽ negligerent, gloriamque apud homines aucuparentur, neglecto Deo; item minima curarent, contemptis maioribus.

ioribus. *Azor in institutionibus moralibus lib. 7. cap. 23. vers. in his igitur duabus.* Quo loco etiam respondet ad illud Christi dictum: *non veni soluere legem, sed adimplere.* Quia Christus quoad vixit, legem veteris Testamenti seruauit, quæ diuinitus erat data vsque ad eius mortem. Similiter respondet ad illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*: quod scil. his verbis indicauerit Christus, tributa Principibus esse persoluenda; & Deo cultum & honorem, & obsequium, debitum itidē tribuendum: A populo Israëlitico veteris Testamenti, ideo decimæ præstabantur quod de eis extaret pręceptū diuinum: Nunc vero de reddendis decimis nullum extat præceptum diuinum, sed tantum canonicum, ab Ecclesiâ institutum.

14. Sed neque nos vrgent loca iuris Canonici *in c. tua nobis & in c. parochianos. cum similibus.* Nam illa exaudiri debent de diuina lege veteris Testamenti, non de diuina lege noui Testamenti, quæ nulla extat. Dicuntur nihilominus hodie decimæ iuris diuini, quod præcipue originem traxerint ex lege diuina veteris Testamenti, quam secuta Ecclesia Christiana easdem decimas noua sanctione restituit; & sic idem nomen adhuc sibi retinent.

Quo accidit, vt & Augustinus, Hieronymus, alijque Patres doctrina & sanctitate illustres, in adstruendis decimis passim vtātur testimonijs veteris Testamenti, vt ostendant scilicet, Ecclesiam eiusque Principes legem à Deo Israëlitis datam imitatos fuisse. *Couarr. lib. 1. variar. resolut. cap. 17.*

 num. 2.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

num.2. verſ. & præter has rationes. Ex quibus facile quoque reſpondere eſt, ad decretum Concilij Tridentini ſupra à nobis recitatum.

CAPVT IV.

Qui ad ſoluendas Decimas teneantur. Item an decimæ non ſolutæ poſſeſſorem prædij comitentur.

Summaria.

1. *Quilibet ad præſtandas decimas prædiales tenetur.*
2. *Fructus prædiorum à ſolo ſeparati decimarum onere affecti ſunt.*
3. *An decimæ non ſolutæ ſequantur poſſeſſorẽ prædij.*
4. *Conciliatio l. Imperatores ff. de publican & l. 1. & l. 2. C. ſine cenſu, &c.*
5. *Sententia Panormitani refutata. & num. 8.*
6. *Item Ioannis Andreæ.*
7. *Decimæ quare tributa egentium animarum.*
9. *Fructus pendentes fundi pars cenſentur.*
10. *Perſonales decimæ onerant tantummodo perſonas.*
11. *Quid de meretricibus & ſimilibus, an ad perſonales decimas teneantur.*
12. *D. Thomæ diſtinctio perſonarum, quo ad reſtitutionem inhoneſte quæſitorum.*
13. *Perſonalium decimarum vſus nullus hodie, ex Soti ſententia.*

Con-

COnstitutissimi iuris regula est: quemlibet cuiuscunque generis, ordinis vel gradus, teneri ad functionem decimarum. *c.ex transmissa. 23.cum c. sequ.c.nuncios.6. & passim.extr.de decimis.* adeo vt ne quidem Imperator de non soluendis decimis alicui gratiam facere possit. *c.tua 25. extr. eodem.* Eaque obtinet præsertim in prædialibus decimis, quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reseruauit in vsum clericorum; vt loquitur textus *in c.tua nobis. 26.extr.eod.tit.*

1.

Vt hinc fructus prædiorum à solo separati onere decimarum affecti dicantur, hoc est, vt ad quemcumque fructus transeunt, comitetur eos & decimandi ius. *c cum homines.7.c. pastoralis. 28. vers. fructus & c.cum non sit.33.extr. de decimis.* Vnde & in elocatis prædijs non domini prædiorum, sed eorum conductores conueniuntur decimarum nomine. *c.dilecti.8. c.à nobis.24. & d.c.tua nobis.extr.de decimis.* Siquidem res cum suo onere transit ad alium. *d.c.cum non sit. & d. c. pastoralis.c. ex literis.extr.de pignor. & l. alienatio.67.ff.de contrahend.empt.*

2.

Vnde ex his facilis responsio est ad hanc quæstionem; vtrum decimæ prædiales non solutæ, sequantur possessorem prædij: Finge Titium fundi sui decimas nō soluisse, & postea eundem fundum transtulisse in Mæuium; hîc igitur quæstionis est, vtrum Mæuius decimas eiusdem fundi ante non solutas, ecclesiæ inferre cogatur? Nam certum est, solummodo Titium cogendum esse,

3.

propter fructus fundi à se perceptos, non vero Mæuium, ad quē fructus non peruenerunt. Quare, si fructus apud Titium adhuc extant, recte is conuenitur condictione ex canone, quo, scilicet, decimæ introductæ sunt arg. l. vnicæ. ff. de condict. ex lege; aut si consumpti sint, condictione sine causa vel iniusta causa. l. 3. C. de condictione ex lege.

4. Nec his refragatur textus *in l. Imperatores, 7. ff. de publican. in l. 2. & l. 3. C. sine censu vel reliquis.* Quibus locis possessores fundi tributarij conueniuntur, etiam quoad tributa ante non soluta; Verba d. l. Imperatores. hæc sunt: *Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt, in vectigalibus ipsa prædia non personas conueniri; & ideo possessores etiam præteriti temporis vectigal solui debere.* Nam alia huius rei ratio est, quod fundi affecti sint onere vectigalium siue tributorum ex dispositione iuris; atque idcirco cum eodem onere trāseunt in nouum possessorem, *iuxta d. l. alienatio. cum similibus.* At decimæ non ipsos fundos afficiunt, sed tantummodo eorum fructus, vt ante probatum est.

5. Licet huic sententiæ aduersetur Panormitanus *in c. cum homines 7. num. 6. extr. de decimis*, existimās potius nouum possessorem conueniri oportere. Mouetur *per tex. in c. tua nobis. 27. extr. eod.* Vbi decimæ vocantur tributa egentium animarum; At in tributo receptum est, quod afficiat ipsos fundos. *d. l. Imperatores*: Verum ipse tex. *d. c. tua nobis*, contra-

contrarium magis innuit, dum his verbis vtitur: *& cum de cunctis omnino prouentibus decimæ sint reddendæ, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ; sic & Dominus de portione quam percepit ratione terræ, decimam terræ sine diminutione tenetur.* Ecce colonus partiarius, pro parte fructuum à se perceptorum, ad functionem decimarum reuocatur, non solus dominus ratione dominij; quod certe fieret si Panormit. sequeremur. Igitur decimæ solos fructus afficiunt non fundum. Idem liquet ex *c.cum non sit. 33. ext.eod. Statuimus* inquit text. *vt in prærogatiuam dominij generalis, exactionem tributorum & censuum, præcedat solutio decimarum, vel saltem hi ad quos censûs & tributa indecimata peruenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesijs, quibus de iure debentur.*

6. Video quidem Ioan. Andr. *in d.c.cum homines, nu.6.* in ea esse sententia, quod putet arbitrarium esse ecclesiæ, vtrum conuenire velit nouum vel antiquum possessorem prædij; idque & communiter sentiunt Dd. *teste ibidem Ioanne Anania.* Sed mihi minime probatur, adeo vt ne quidem in subsidium ad nouum possessorem recurri possit: quia vt dixi, decimæ onus sunt fructuum, non prædiorum: atq; idcirco æquitati non conuenit, vt alter alterius odio prægrauetur. *cap. non debet 22. de reg.iur.in 6.* Neque factum venditoris nocere debet emptori, *l.factum cuique.ff.de reg.iur.*

Sed occurres, & tributa solui ex fructibus, cum

& horum onus sint. l. neque stipendium 13. ff. de impensis in reb. dot. vbi ita Paulus I Ctus. *Neq; stipendium neq; tributum ob dotalem fundum præstita exigere vir à muliere potest; onus enim fructuum hæc impendia sunt.* Verum hoc accidit, quia vir ipse simul possessor dotalis fundi erat: & omnes eius commoditates receperat: Vnde mirum non est, si & tributorum onus ad eum quoq; spectauerit; siquidem & fundus tributarius tacite fisco obligatus fuerat. *l. 1. C. si propt. public. pensit. & l. inter.* 42. *ff. de pactis.* At vero prædia decimarum nomine nullo pignoris iure obligata sunt, illis quibus decimæ debentur, sed tantummodo fructus, vt hactenus comprobatum est.

7. Quod vero decimæ *in d. c. tua nobis.* tributa egentium animarum vocentur, id non proprie fit, sed latiore significatione, prout tributum accipitur pro quauis datione vel cessione, inspecta, scilicet, notione verbi *tribuo*, cuius supinum est *tributum.* Nam & dicimus tribuere beneficium. *l. in commodato.* 17. *§. sicut. ff. commodati*, actionem, veniam, *l.* 2. *§. peruenisse. ff. de hæreditat. vel actio. vend. l. Diuus.* 15. *§. matri. ff. ad legem Cornel. de fals. cum similibus.*

Item recte dicimus in tributum venire, id est, contributionem. l. 4. ff. ad l. Rhodiam de iactu. Itaq; decimæ dicuntur tributa animarum egentium, quod egentibus animabus à clericis recipientibus eas, contribuendæ siue cōmunicandæ sint: quamuis propius dixerimus eas esse tributa

Dei,

Dei, quod in signum vniuersalis Dominij Deo reseruatæ sint, in vsum clericorum, tum etiam pauperũ, *d.c.tua nobis.& d.c.cum non sit.ex.de deci.*

8. Nec quoque impedit *c.cum in aliquibus.32.ext. eod.de decimis.* cui & innititur Panor. dum textus his verbis vtitur. *Statuimus, vt domini talibus personis & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione ecclesijs decimas cum integritate persoluant.*

Nam hic textus nihil iuuat sententiam Panormitani; sed potius eam euertit: Ad quid enim conductorum meminit textus: nisi quod ab ijs decimæ fructuum pendi debeant, non à dominis à quibus elocata sunt prædia?

9. Quô etiam fit; vt cum prædiales decimæ sint onus fructuum à solo separatorum (nam pendẽtes fructus fundi pars censentur. *l.fructus pendentes.ff. de rei vend.*) recte quoq; Iudæi ad eas præstandas conueniantur. *c.de terris.16.ex.de decimis.* Item religiosi licet exempti sint. *c.2.§.pen.de deci. lib.6.* Item Reges, Principes alijq; cuiuscunq; status aut generis, ad quos fructus prædiorum perueniunt, nisi priuilegio summi Pontificis, vel alio iure se exemptos doceant. *c.à nobis 24. extr. de decimis.* de quibus ex professo infr.ca.17.

10. Sed quid de personalibus decimis? Hæ tantum personas onerant non res. *Io. Andr.sup.cit.loco, per tex.in l.1.§.Si hæres ff.ad.S C.Trebel.*

11. Illud quęsitũ est, an meretrix ex quęstu corporis sui decimas pręstare teneatur? Similis quęstio est, de

de mimis & morionibus. Et hos omnes non teneri, videtur probare textus *in c. ex transmissa 23. extr. de decimis.* Cuius verba hæc sunt: *Quia fidelis homo de omnibus quæ licite potest adquirere, decimas erogare tenetur.* Ergo à contrario sensu (qui vtroque iure receprus est. *c. cum Apostolica. 7. inf. extr. de his quæ fiunt à prælat. & l. 1. vers. non aliter. ff. de officio eius.*) quæ illicite acquisiuit, ex ijs decimas erogare non tenetur. Confirmat hanc sententiam *c. non est putanda* 1. *q.* 1. quo prohibetur Devs honorari ex rebus illicite acquisitis, vbi & allegatur locus Prouerbiorum *cap.* 22. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.* At Deo offeruntur decimæ in exhibitionem clericorum propter cultum ipsius. *ca. tua nobis.* 26. *circa midium, extr. de decimis.* Accedit ragumentum desumptum *ex l 2. l. 3. & l. final. ff. de condit. ob turp. causam.* quibus locis iudex ad restitutionem compellitur eius, quod accepit, vt recte iudicaret; nec non depositarius & commodatarius, vt depositum vel commodatum domino redderet. Similiter & is qui ne sacrilegium, homicidium vel aliud crimen committeret, aliquid eo nomine accepit. Hi itaque & similes, cum ad restitutionem teneantur eius quod receperunt, non quidem ex scelere siue delicto, sed quod gratis & ex necessitate officij facere tenebantur, multo magis illi qui delicti committendi causa quid acceperunt. Non igitur meretrix ex quæstu corporis sui decimas inferre cogitur, sed potius ad restitutionem

eius

eius quod accepit, tenetur. Attamen D. Tho. in 2. 2. q. 87. art. 2. in resp. ad 2. argumentum; rectius putat, meretricem, mimum, morionem, ad decimarum præstationem conueniri posse: eò quod ad restitutionem eorum quæ professione sua acquisiuerunt minime obligentur: Secus vero esse in furibus, raptoribus & vsurarijs. D. Thomam suis verbis audiamus.

12.

Ad secundum, inquit, dicendum: quod aliqua male acquiruntur dupliciter; vno modo, quia ipsa acquisitio est iniusta; puta, quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut vsuram; quæ homo tenetur restituere, non autem de eis decimas dare; tamen si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere. Quædam vero dicuntur male acquisita, quia acquirũtur ex turpi causa, sicut de meretricio & histrionatu & alijs huiusmodi, quæ non tenentur restituere. Vnde de talibus tenentur decimas dare, secundũ modũ aliarũ personaliũ decimarum: Subdit tamen ibid. D. Th. inquiens, *tamen Ecclesia non debet eas recipere, quandiu sunt in peccato: ne videatur eorum peccatis communicare, sed postquam pœnituerint, possunt ab eis de his recipi decimæ.* Idem tradit Dominicus Soto *supra citato loco*. ex sententia, vt videtur, eiusdem D. Thomæ: admonens D. Thomam loqui secundum sui temporis regionisque morem, quo personales decimæ prorsus in vsu erant. *Iam vero*, addit Soto *nullibi, quod audierim eiusdem, perstat decimarum obseruatio*: Interim sententia D. Thomæ iuri conuenit,

13.

de mimis & morionibus. Et hos omnes non teneri, videtur probare textus *in c. ex transmissa 23. extr. de decimis.* Cuius verba hæc sunt: *Quia fidelis homo de omnibus quæ licite potest adquirere, decimas erogare tenetur.* Ergo à contrario sensu (qui vtroque iure receptus est. *c. cum Apostolica. 7. inf. extr. de his quæ fiunt à prælat. & l. 1. vers. non aliter. ff. de officio eius.*) quæ illicite acquisiuit, ex ijs decimas erogare non tenetur. Confirmat hanc sententiam *c. non est putanda* 1. *q.* 1. quo prohibetur DEVS honorari ex rebus illicite acquisitis, vbi & allegatur locus Prouerbiorum *cap.* 22. *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.* At Deo offeruntur decimæ in exhibitionem clericorum propter cultum ipsius. *ca. tua nobis. 26. circa medium, extr. de decimis.* Accedit ragumentum desumptum *ex l 2. l. 3. & l. final. ff. de condit. ob turp. causam.* quibus locis iudex ad restitutionem compellitur eius, quod accepit, vt recte iudicaret; nec non depositarius & commodatarius, vt depositum vel commodatum domino redderet. Similiter & is qui ne sacrilegium, homicidium vel aliud crimen committeret, aliquid eo nomine accepit. Hi itaque & similes, cum ad restitutionem teneantur eius quod receperunt, non quidem ex scelere siue delicto, sed quod gratis & ex necessitate officij facere tenebantur, multo magis illi qui delicti committendi causa quid acceperunt. Non igitur meretrix ex quæstu corporis sui decimas inferre cogitur, sed potius ad restitutionem

eius

eius quod accepit, tenetur. Attamen D. Tho. in 2. 2. q. 87. art. 2. in resp. ad 2. argumentum; rectius putat, meretricem, mimum, morionem, ad decimarum præstationem conueniri posse: eò quod ad restitutionem eorum quæ professione sua acquisiuerunt minime obligentur: Secus vero esse in furibus, raptoribus & vsurarijs. D. Thomam suis verbis audiamus.

12.

Ad secundum, inquit, *dicendum: quod aliqua male acquiruntur dupliciter; vno modo, quia ipsa acquisitio est iniusta; puta, quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut vsuram; quæ homo tenetur restituere, non autem de eis decimas dare; tamen si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere. Quædam vero dicuntur male acquisita, quia acquirũtur ex turpi causa, sicut de meretricio & histrionatu & alijs huiusmodi, quæ non tenentur restituere. Vnde de talibus tenentur decimas dare, secundũ modũ aliarũ personaliũ decimarum*: Subdit tamen ibid. D. Th. inquiens, *tamen Ecclesia non debet eas recipere, quandiu sunt in peccato: ne videatur eorum peccatis communicare, sed postquam pœnituerint, possunt ab eis de his recipi decimæ.* Idem tradit Dominicus Soto *supra citato loco*. ex sententia, vt videtur, eiusdem D. Thomæ: admonens D. Thomam loqui secundum sui temporis regionisque morem, quo personales decimæ prorsus in vsu erant. *Iam vero*, addit Soto *nullibi, quod audierim eiusdem, perstat decimarum obseruatio*: Interim sententia D. Thomæ iuri conuenit,

13.

& responso Vlpiani confirmatur. in l. 4. §. Sed quod meretur.ff.de condic.ob turp. causam.& in l.affectionis.5.ff.de donationibus.Priore responso ita loquitur Vlpian.*Sed & quod meretrici datur, repeti non potest, vt Labeo & Marcellus scribunt, sed noua ratione, non eò quod vtriusq; turpitudo versatur, sed solius dantis : illam enim turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Posteriore responso his verbis idem Vlpian. *Affectionis gratia neque honestæ neq; inhonestæ donationes sunt prohibitæ; honestæ erga bene merentes amicos vel necessarios, inhonestæ circa meretrices.* Idem iudicium est de mimis, morionibus & parasitis; de quibus latius consule Did. Couar.*in c.peccatum de reg.iur.lib.6.in part.* 2.§.2. Quare non obstant text. *in d.c.ex transmissa, & in d.c. non est putanda*: Nam hi referendi sunt ad alterum caput bonorum quæ restitutioni subiacent, sicut ex D.Thoma & Soto iam explicauimus.

Argumenta vero deducta *ex l.2. l.3. l. vlt. ff. de condi. ob turp. caus.* nonnihil quidem nos commouent, sed tamen recte eis occurritur: quod dictis legibus, ideo restitutio fieri iubeatur, quod is qui dat iudici vt secundum se in bona causa pronunciet, vel vt commodatarius siue depositarius rem reddat : ipse dans timore ductus id faciat, ne iustā alioquin causam amittat, aut res sua commodata vel deposita supprimatur, aut alio auertatur; & id quidem faciat in mercedem operæ, quæ alioquin à recipiente erat gratis præstanda. Quod nō est in

est in meretrice,mimo,morione,qui non coguntur gratis suam professionem exercere. Vide quæ fusius de hac re tractant Nauar.*in Manuali c.17.n.31.cum seqq.& Greg.de Valent.tom.3.comment.Theol. disp.3.q.9.& disp.5.q 6 puncto 4.& 5.*

CAPVT V.

Vtrum pauperes ad decimarum præstationem teneantur.

Summaria.

1. *Vtrum pauperes ad decimas teneantur.*
2. *Elegans Augustini locus.*
3. *Decimæ tributa animarum, quomodo?*
4. *Regula, dolo facit, qui petit, explicata.*
5. *Panormitani sententia de decimis pauperum.*

QVæsitum est, an is ad præstandas decimas obligatus sit,qui ex prædijs suis non nisi sibi & familię suę necessaria colligit. Et certius est,obligatũ esse,per ea quę superio.c.disseruimus.Siquidem debitor obtentu inopiæ suæ non liberatur ab obligatione,imo si ita res ferat, in carcerem detruditur,nisi cesserit bonis suis. *l.1.& quæ ibi tradunt Dd.C.qui bon.ced.poss.* Sed in decimis,id multo magis obtinet, quod ecclesia cui debentur, ius habeat in rem, hoc est, in ipsos fructus collectos, vt supra proximo capite demonstrauimus.Adeoque ecclesia ipsa, si debitorem decimarum, suspectum habet, potest ipsi inhibere ne se absente,

vel

vel alio suo nomine, fructus colligat vel exportet. *Speculator in tit. de decimis. n. 12. Guido Papa q. 283. & additio q. 433. in decision. Tholosan. arg. l. 2. ibi, sub aspectu etiam Curialium, C. quando & quibus quarta pars. lib. 10. l. si suspecta. 29. ff. de inoffic. testam. l. nam ita diuus. 39. ff. de adopt. l. de vnoquoque. 47. ff. de re iudic. & c. 2. de procurat. in 6.* Idque hanc rationem habet, quod vbi alterius præiudicium vertitur semper vocandus est is cuius interest aut saltem ipse licite interesse potest, *iam dictis iuribus*, non vero ob eam rationem quam comminiscuntur alij, quod, scilicet, decimæ sint pars fructuum, ergo & fundi, quia fructus sunt pars fundi. *l. fructus. ff. de rei vindicat.* nam falsa hæc ratio est & eius consecutio. Decimæ quidem sunt pars fructuum sed à solo separatorum, *vt ante cap. 4. comprobauimus*: non igitur pars fundi sunt, quia nec fructus separati amplius fundi pars sunt, sed soli fructus pendentes pars fundi censentur. *d. l. fructus. 45.* Neque in hac re interest, quibus debentur decimæ, probatæ vel improbatæ vitæ sint, diuites an pauperes; nec enim ideo creditoris ius minuitur. *c. tua nobis. § prætextu. ex. de decim.*

2. Facit elegans textus *in ca. forte* 14. *q.* 5. vbi ita Augustinus. *Forte aliquis hoc secum cogitat, & dicit: multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero; Vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynam dedero. Etenim in hac re parcat vnusquisque animæ suæ. quia huiusmodi cogitatio*

tatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etiamsi totum tribuat pauperibus, quod abstulerit, addit potius peccata, quam minuat.

3. Sed obijcies, decimæ sunt tributa egentium animarum. *c.fin.* 16.*q.*1. ac proinde cum clerici quibus soluuntur decimæ, teneantur eas pauperibus communicare, frustra à pauperibus eas petunt, quas solutas postea ipsi restituere tenentur, iuxta regulam iuris, *dolo facit qui petit, quod restituere oportet eundem.* ca.dolo facit.de regul.iur.in 6. In

4. eandem sententiam Paulus ICtus: *dolo facit qui petit, quod redditurus est.l.dolo facit.* 8.*ff.de doli mali & met.excep.* Verum respondetur, decimas principaliter solui Deo in signum vniuersalis dominij *per tex.in c.tua nobis.*26.*extra de decimis*, atque idcirco cum prospectu Dei præstentur, prius à debitore exsoluendæ sunt, deinde à clericis restituendæ, si ita dictet inopia debitoris; aut saltem breui manu, vti dicitur, acceptas, remittere. Vnde prædictæ regulæ locus non est, vbi præiudicium alterius (vt hoc in casu Dei) vertitur, *ex sententia Butrij & aliorum in c. cum homines. n.*7.*extr.de dec. iunge glos. in c.quicunque.in verb.quod minus.*16.*q.*8.

5. Quin & Panor. *in d.c.cum homines*, non male existimat, debitorem decimarum, si fame obruatur, iuste posse eas denegare; cum in tali necessitate omnia communia sint. *c.discipulos, de consec. dist.*5.*c.sicut.dist.*47.*& l.*2.*§.cum in eadem, in fine .ff.ad l.Rhodiam de iactu.*

C CA-

CAPVT VI.

Vtrum Clerici & Monachi ad decimas teneantur.

Summaria.

1. *An vt à laicis decimæ præstantur, ita & à clericis & monachis.*
2. *De clericis D. Thomæ sententia eaq; improbata.*
3. *Ecclesia cultrix iustitiæ.*
4. *Panormit. sententia reiecta.*
5. *Rebuffi interpretatio probata.*
6. *Personales decimæ à clericis non soluuntur.*
7. *Explicatio c. 1. extra de censib.*
8. *De decimis clericorum communiter viuentium, remißiue.*
9. *Monachi ad decimas prædiales tenentur, exceptis Cistercienſibus, &c.*
10. *Monachorum exemptorum à decimis priuilegium personale.*
11. *Fisci priuilegium de non soluendis vectigalibus, personale.*
12. *Exemptio de non soluendis decimis, vt attemperetur. & 13.*
14. *Priuilegium cessare cessante causa.*
15. *Priuilegium de non soluendis decimis, vt præscribatur.*
16. *Conciliatio. c. si de terra, cum accedentibus. c. extr. de priuileg.*

17. *Pri-*

17. *Priuilegium amittitur propter sententiam latam, nisi,&c.*

INter omnes conuenit, laicos cuiuscunq; ordinis aut conditionis ad præstationem decimarum tam personalium quam prędialium ex iuris præscripto, obligari, sicut antè cap. 4. comprobauimus. 1.

At disputationis est, an idem obtineat in clericis & monachis? Et quidem in clericis negare videtur textus in c. 2. extr. de decimis. vbi his verbis Paschalis Summus Pontifex: *Nouum genus exactionis est, vt clerici à clericis decimas exigant, cum nunquam in lege Domini hoc legamus: Non enim Leuitæ à Leuitis decimas recepisse leguntur. Illi profectò qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Quo textu motus Diu. Thomas *in 2. 2. quæst. 87. artic. 4. in respons.* putauit clericos quatenus clerici sunt, id est, possessiones ecclesiasticas habent, non teneri ad soluendas decimas: Aliter si proprio iure, id est, ex successione hæreditaria vel alio titulo prædia possideant; nam hac specie censet, eos esse obligatos ad decimarum functionem. Contra verò asserunt textus *in c. Si quis laicus. in c. ecclesiæ, & in c. quicunq;. 16. q. 1.* quibus etiam ex prædijs dotalibus iubentur solui decimæ illi ecclesiæ cui ante debebantur. Non igitur clerici ratione prædiorum ecclesiasticorum immunes sunt à præstatione decimarũ. Et ratio ipsa euincit; siquidem factum alienantis prędium in ecclesiã, priori ecclesiæ nocere nõ potuit. 2.

l.factum cuique suum. ff. de regulis iuris. Et quod e-
3. leganter inquit textus in c. vnico. de alienatione feudi. *Ecclesia cultrix & auctrix iustitiæ non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se vel in alterum.* Quare si prædia ab vna ecclesia in aliam translata eximerentur à functione decimarum, id iniuste & non aliter fieret quam cum detrimento prioris ecclesiæ.

4. Nec obstat textus in *d.c.2.ext.de decimis.* Quia si ibidem interpretem Panorm. sequimur, is textus agit de clericis residentibus in parochia, vt, scilicet, hi parochiali ecclesiæ decimas inferre non cogantur. Sed hoc minus recte: cum aperti iuris sit; omnes fructus prædiorum decimarum onere affectos esse Deo in signum vniuersalis dominij. *c.tua nobis.26. extr.de decimis.sicut supra capp.1.3.& 4.latius demonstrauimus.* Vnde rectius Rebuffus *in tractat.de decimis.q.5.n.6.*censet d.ca.2. exaudiendum esse, de decimis per clericos semel perceptis, vt hæ rursus ad alteram decimationem alijs clericis persoluendam, non obstringantur, exemplo Leuitarum (quo idem textus vtitur) qui in vetere Testamento non leguntur à se inuicem decimas exegisse. Ita quod *d.c.2.* non agat de primis decimis prædiorum, sed de decimis decimarum ante perceptarum à clericis; alioqui textus male applicaret exemplum Leuitarum, qui tunc temporis nihil præter decimas possidebant.
6. Plane personales decimas clerici clericis debent,

da est

si ab his diuina percipiunt. Quo sensu accipienda est posterior pars *eiusdem capitis secundi.*

7. Neque etiam mouet textus in cap. 1. extra de censibus, quo ex manso in dotem ecclesiæ constituto, prohibentur decimæ solui: verba hæc sunt: *Sancitum est, vt vnicuique ecclesiæ vnus mansus integer absque vllo seruitio tribuatur; & presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de areis, vel de hortis iuxta ecclesiam positis, neque de prædicto manso, aliquod seruitiũ faciant præter ecclesiasticũ. Et si quid amplius habuerint, inde seniorib. debitum seruitium impendant.* Mansum vocat textus, tantum agri quantum sufficit duobus bobus annuatim ad arandum. *glo. ibi.* Innocent. vero & communiter alij sumunt mansum pro dote ecclesiæ, vt notat *ibidem Panormit.* Vtcunque sit, non tamen inde certo probatur decimas non solui ex fundo dotali ecclesiæ, sed propter decimas, oblationes, &c. nihil præstandum esse fundatori; quod longe est aliud: Idque eleganter transfert Panormitan. ad hanc quæstionem, an valeat obligatio Parochi cum subditis suis, vt pro decimis certi quid soluat? Et respondet non valere *per eundem textum, & in c. decimas quas. 16. q. 7.*

8. De clericis communiter viuentibus videatur textus *in c. decimas. 16. q. 1.*

9. In monachis id iuris est, quod & hi decimas ex sues prædijs soluere cogantur *c. 3. & c. 4. extr. de decim.* Etenim decimæ, vt sæpe meminimus, onus

 fru-

fructuum sunt ex constitutione sacrorum canonum, quasi hoc illis à iure innatum sit; Vnde & ad monachos hoc onus fructuum recte transfertur: nisi quod reperio Paschalem 2. omnibus religiosis remisisse decimas laborum suorum, hoc est, eorum prędiorum, quę suis manibus aut sumptibus excolunt. *d.c.decimas*, cui tamen postea per Hadrianũ 4. derogatum est, & restrictum ad solos Cistercienses, Templarios & Hospitalarios. *c.ex parte.10.cum c.seq. ext. de dec.* seruata tamen moderatione, quam post eum Innocen.3. in generali Concilio Lateranensi adhibuit, vt, scilicet, hoc beneficium non nisi ad prædia ante Concilium Lateranense acquisita pertineat. *c.pen.ext.eod.* In ceteris vero monachis maneret idem beneficium Hadriani 4. quo ad noualia, vt de his, si per se aut per alios impensis suis excolant, non teneantur inferre decimas; sicut nec de animalibus & hortis suis. *d.c.ex parte. vers.ceteris vero.* Vt vel hinc quoque constet decimas non esse diuini iuris, aliâs priuilegio tolli non possent. *c fin.ext. de præscript.* sicut supra cap.5. latius de eo disseruimus.

10. Ceterum, hoc priuilegium monachorum, cum prospectu personarum ipsis indultum sit, recte sequitur, emptores vel conductores eorum prędiorum, à solutione decimarum nequaquam liberos esse, sed eos iure cogi posse ad pręstandas decimas. *c licet.11.ext.de decimis.* Quippe priuilegium personale, personam sequitur eamq; non transgreditur. *c.sane 9. extra de priuileg. c.priuilegium de regul. iur.*

Iur. in 6. & §. Sed & quod principi. Institut. de iure naturali.

11\. Quo pertinet elegans responsum Pauli ICti *in l. locatio 9. §. vlt. ff. de publican.* vbi licet fiscus à præstatione vectigalium immunis sit, non tamen mercatores earum rerum quas à fisco emerunt: Ideo quod illud priuilegium singulariter fisco sit reseruatum & subsequenter ad emptores nõ transeat. Quod scitè Panorm. *in. d. c. licet*, pertrahit ad res studiosorum, qui quamuis immunitatem habeant vectigalis non soluendi, non tamen earum emptores: Facit iuris regula: *In omnibus causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat.* l. in omnibus causis id. ff. de regulis iuris. Secus est in priuilegio respectu rei concesso, quod in quemlibet successorem rei transfunditur; *exempla vide in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quotidiana. & in l. in forma. 4. §. quanquam. ff. de censib.*

12\. Item eadem exemptio à decimis, exaudienda est de proprijs prædijs monachorum: Nam si quę prædia monachi ab alijs conducta habent, eorum decimas non minus quam alij præstare tenentur, *c. dilecti. 8. ext. de decim.* Siquidem priuilegium quoad præiudicium tertij, scil. parochi siue alterius clerici cui alias decimæ legitime competunt; stricte accipiendum est; quemadmodum & cetera beneficia à Principe obtenta in præiudicium alterius *l. 2. §. quis à Principe. ff. ne quid in loco publico & c. quamuis. 8. de rescript. in 6.*

13. Rursus tertio, eadem exemptio de non soluendis decimis hoc temperamento accipienda est, ne nimium lædat ecclesiam cui alias debentur decimæ. *c. quid per nouale.* 21. *circa finem. extra de verb. signific.* Cuius ratio pendet ex mente concedentis, qui non censetur in dubio, beneficium conferre in graue præiudicium alterius. *l. 2. C. de precib. Imp. offer.* & ne quidem in leue præiudicium, nisi id diserte exprimat *d. §. si quis à Principe. & d. c. quamuis.* Quare hac specie priuilegium de non soluendis decimis adeo reuocatur, vt ne quidem ad moderationem redigi debeat. *arg. c. cum causa. 6. extra de empt. & vendit. & l. 2. C. de rescind. vendition. Panormit. in c. suggestum. nu. 4. in fin. extra de decimis.*

14. Adde & priuilegium immunitatis à decimis, cessare cessante causa priuilegij, ob quam concessum fuit. *d. c. suggestum.* Quod & in ceteris priuilegijs obseruatur. Sicut fusius docet Andreas Tiraquellus *in tractatu cessante, causa. n. 210. cum seqq. & probat textus in c. cum cessante, 60. in pr. extra de appellationibus.*

15. Sed nec hic prætermittendum est, quod priuilegio de non soluendis decimis quadraginta annis non vtendo præscribatur; quasi tanti temporis lapsu videatur renunciatum priuilegio. *c. accedentibus. 15. extra. de priuilegijs.* propter regulam generalem quæ in omnibus ecclesiæ iuribus præscribendis obseruatur, vt scilicet ea. 40. annorum præscriptione tollantur, vel potius elidantur, opposita

posita exceptione præscriptionis. *c.4.c.ad aures.6. c.illud.8.cum c. seq. extr. de præscript.* Idque multo magis obtinet, vbi expresse priuilegio renunciatum est; adeo, quod hoc casu sufficiat vel vna renunciatio. *c.cum accessissent.extr. de constitut.* Est enim certa iuris sententia; quemlibet fauori suo renunciare posse. *l. penult.C.de pact. & c.1.de pact. in 6.*

Neque his obstat textus *in c. si de terra.6. extr. eod.tit.de priuilegijs*; quo priuilegio de non soluendis decimis triginta annorum spatio præscribitur, contra. *d.c. accidentibus*, vbi 40. anni exiguntur. Nam respondet Panorm. *ibidem.* d.c. si de terra, corrigi per c.accedentibus tanquam posterius ordine; & pro hac sententia citat glossam ibi communiter receptam. Quæ certe conciliatio constare non potest, ideo quod Decretales Gregorij IX. eodem tempore editæ sint, & ab eodem auctoritatem acceperint, aperteque fateatur ipse Gregorius *in proœmio suo* nihil superflui inesse Decretalibus suis: Esset autem superfluum, si d. c. si de terra, per d.c.accedentibus, tanquam posterius abrogaretur. 16.

Quare vt hæc absurditas euitetur, neque facilè correctio inducatur *c.cum expediat.29. in pr. de elect.lib.6. & l. vnica. C. de officios. dotib.* putarem species vtriusque capituli à se inuicem separandas esse, cum in diuersis casibus loquantur. Etenim. *d.c. si de terra*, agit de præscriptione parochialis ecclesiæ ad quam aliâs de iure cõmuni spectant de-

cimæ (vt dicam infra c. 8.) contra monasterium, atque idcirco, cum hæc præscriptio fauorabilis sit (eo quod res facilius ad suam naturam recurrat. *l. si vnus. 27. §. pactus. vers. quod si non ff. de pact. & c. cum venerabilis. 21. extr. de censibus.*) Ideo in hac præscriptione minus tempus statuitur, nempe 30. annorum. Quod non est in casu, *d. c. accedentibus*, vbi alij quam parochus inter se cōtendunt de decimis. Et huius quoque sententiæ videtur esse Henricus Boich. *in d. c. si de terra.*

17. Postremo, hoc priuilegium, vt & quoduis aliud puiuilegium, amittitur per sententiam latam contra priuilegium, siue illud allegatum & deductum sit, in iudicium, siue non. *c. suborta. 21. extr. de sentent. & re iudicat.* Idque propter auctoritatem sententiæ, quæ obtentu instrumenti de neuo reperti vel producti, rescindi no potest *l. Imperatores. 32. ff. de re iudic. & l. sub prætextu. 19. C. de transact.* nisi forte appellatum esset à sententia. *d. c. suborta*; Hoc enim casu priuilegium adhuc suam vim retineret, & in iudicium appellationis rectè deduceretur. *c. cum Ioannes 10. extr. de fide instrumen.* Quippe per appellationem sententia lata extinguitur, *l. 1. §. f. ff. ad SC. tum Turpilia*: vel vt alijs placet, suspenditur, donec de ea in iudicio appellationis cognitum fuerit. *l. præcipimus. 32. vers. hæc si appellatio. C. de appellationib.* Quod hanc rationem habet, quod interposita appellatione reducatur causa in eum statum, in quo erat litis contestatæ tempore prioris iudicij, *per textum in l. ita demum.*

13. &

13.*& ibi Bartholus & Baldus.C.de procurator.* Quare priuilegium siue alia instrumenta in priori instantia omissa vel etiam producta, rectè in appellationis iudicio producuntur vel repetuntur, *d.c. cum Ioannes. c.fraternitatis.17. extr. de testibus. & l. eos.6.§.si quid autem.C.de appellat.* Vel nisi cessante appellatione petatur ex causa in integrum restitutio aduersus sententiam. Nam & hac ratione rescissa sententia, causa in pristinum statum reponitur & productioni priuilegij locus fit, adeoque tota causa de nouo agitatur. *c.suscitata.ext.de integ. restit.& l.nemo.5.ff. eod.tit.de in integr.*

CAPVT VII.

Decimas integrè persoluendas esse, & quando, & vbi.

Summaria.

1. *Decimæ prædiales statim collectis fructibus integræ debentur.*
2. *Cuius periculo sint, si statim non præstentur decimæ.*
3. *Cuius expensis inuehuntur decimæ.*
4. *Personales decimæ quando præstandæ.*
5. *De bonis aduocatis qui separatim habent loculos pro decimis immittendis.*

Decimas

1. DEcimas integrè, id est, absque vlla diminutione siue detractione præstandas esse probant textus Decretalium. *in c.4.c.5.c.8.c.21.c.23. c.26.& c.32.extr.de decimis.* Idque si prædiales decimæ sint, statim fructibus collectis, id est, à solo separatis. *c.cum homines.7.extr.eod.* Ita enim collecti fructus dicuntur *per textum in l.si seruus.27.§. si oliuam. ff.ad l. Aquiliam. & l.si eius.77.ff.de rei vindica.*

2. Vnde si mora debitoris decimæ perierint aut damnum passæ sint, debitoris periculum est. *l.cum res.49.§.fi.ff. de legat.1.* nisi monitus clericus cui debentur, nolit decimas recipere, tunc enim clerici culpa sibi ipsi nocet. *l.qui decem.72.ff.de solutionib.* præterquam, si idem clericus postea decimas repetat aut acceptare velit. Nam hâc specie periculum rursum redit ad ipsum debitorem: cum tunc posterioris moræ non prioris habeatur ratio. *l.illud.17.ff.de pericul. & cõmod.rei vendit. & l. debitor.7.ff.de vsuris.glossa in d.c.cum homines.*

3. Sed cuius expensis decimæ in horreum clerici siue ecclesiæ conuehuntur? Debitoris. *c.reuertimini & ibi glossã.16.q.1.* Sed melius est hac in re alijsque similibus adire consuetudinem loci. quæ profectò retinenda est. *argu.c. cum sint homines.18. & c.cum in aliquibus 32.§.fi.extra.de decimis,* vt etiã monet Panormitanus *in c.peruenit.5.num.3.extra. eod.* quo loco ex communi vsu receptum tradit quod decimæ frumenti excussa palea deferantur in horreum ecclesiæ, impensis villici siue domini.

Sed

Sed aliter hîc in agro Ingolstadiẽsi obseruatur, vt ex fructibus à solo separatis & in manipulos (vulgo gerbas vocant) coniectis, decimæ earum ex eis separentur & in eodem agro relinquantur ecclesiæ, cui debentur. Quare singulorum locorum consuetudo in hac re spectanda est.

4. Personales vero decimæ præstantur in finẽ anni vt vult glossa in *d.c.reuertimini & Ioannes Andreæ quem citat & sequitur Panormi.in d.c.peruenit*, ne si ex singulis operis decimæ statim soluerentur, incommodum foret ipsi debitori vel ecclesiæ; eo quod dici soleat, particularis solutio multa incõmoda sæpè adfert. l. plane. 3. ff. familiæ erciscun. De quo tamen non video magnopere laborandũ esse, cum hæ decimæ personales videantur hodie & passim in dissuetudinem abijsse: Nisi quod Petrus Rebuffus *in tractatu de decimis q.12.num.5.* asserat, solere bonos aduocatos & deuotos lucrum suum ex postulationibus referre in scripturam, & postea in fine mensis vel anni illud recognoscere; immo addit, se multos vidisse qui dispositos loculos haberent pro decimis, vt si decem solidos vno die lucrarentur vnum ex ijs immitterent in loculos pro eleemosynis erogandis, pro anniuersarijs, pro exhibendo parocho, & alijs operibus pijs exercendis: & bonum esset (subijcit) si sic faceremus.

CAPVT VIII.

Decimæ quibus exſoluendæ.

Summaria.

1. *Decimæ prædiales quibus exſoluantur; & quid de perſonalibus.*
2. *Parochus loci in prædialibus intentionẽ ſuam fundatam habet contra quemlibet etiam Epiſcopum.*
3. *Adeo, licet alium poſſeſſione decimarum ſpoliauerit, niſi tamen is titulum legitimum poſſeſſionis ſuæ probauerit.*
4. *Quis hic titulus legitimus.*

1. EXplorati iuris eſt; decimas, id eſt, ius decimandi ad parochum loci vbi prædia ſita ſunt ſpectare, quod ad prædiales decimas attinet. *c. 2. de reſtitut. ſpoliatorum. in 6. c. cum contingat. 29. cum c. ſeq. & c. quoniam 13. ext. de decimis.* Sin perſonales decimæ ad eccleſiam in qua debitor Sacramenta Eccleſiaſtica percipit, licet alibi lucrum obtigerit. *c. ad Apoſtolicæ. 20. extr. eod. & c. fi. extr. de parochijs.*

2. Quo fit, vt parochus loci contra quemlibet poſſeſſorem iuris decimandi, etiam Epiſcopum, habeat intentionem ſuam fundatam; ita quod nõ teneatur probare quo titulo ius decimandi ad ſe pertineat: cum id ex Canonum præſcripto habeat, quemadmodum recte tradit Petrus Rebuffus *in tractatu de decimis q. 7. n. 4. & 5. per textum in c. à no-*

c. à nobis 24. & ibi quoque Butrius num. 4. extr. de decimis. & iuribus iam antea citatis.

Adeoque vt si propria auctoritate parochus loci, possessionem iuris decimandi alteri interuerterit, siue, vt vulgo loquimur, spoliauerit, decimas ipse percipiendo; non ante ad restitutionem teneatur quam spoliatus probauerit legitimum titulum possessionis suæ, *d. c. 2. de restitut. spoliat. in 6.* quod latius infr. cap. 16. persequimur. 5.

Legitimus vero titulus hic est in alieno clerico, hoc est, qui non est parochus loci (nam de laicis possessoribus decimarum, separatim agimus infr. cap. 13.) vel consuetudo vel præscriptio, vel priuilegium, vel compromissum, vel transactio. De quibus iam distinctim dispiciemus. 4.

CAPVT IX.

De consuetudine & præscriptione quibus alieno parocho vel clerico, decimæ prædiales adquiruntur.

Summaria.

1. *Consuetudo & præscriptio in quo à se inuicem distent, licet interdum confundantur.*
2. *Possessio proprie rerum corporalium est, quasi possessio, incorporalium.*
3. *Consuetudine recte adquiri ius decimandi.*
4. *Dummodo ea rationabilis sit & præscripta, & quæ talis?*

5. Item

5. *Item præscriptione adquiritur ius decimandi.*
6. *Cap.primum de præscriptionibus in 6. refertur & explicatur, item regula, quæ inde eruitur à Dd. & num.7.*
8. *Argumenta contra præscriptionem iuris decimandi, quæ & soluuntur, num.9. & seq.*
9. *Incorporalis rei etiam præscriptio datur.*
10. *Cur in decimis vna præscriptio detur contra l.cum notißimi. 7. C. de præscript.30. vel 40. annorum.*
11. *De mala fide præsumpta ex actu contra legem.*
12. *Lex, si quis diuturno.ff. si seruitus vindicetur. opposita explicatur.*
13. *Doctorum interpretatio reijcitur.*
14. *Item Couarruuiæ.*
15. *Auctoris sententia.*
16. *Immemorialis præscriptio quomodo probetur.*
17. *Memoriam rei extare in factis antiquis, probari per auditum alienum, sed an etiam per instrumentum, num.18?*
19. *Præiudicium facultatis Iuridicæ Ingolstadiensis.*

1. Consuetudo à præscriptione in eo distat, quod illa consensu hominum tacito inducatur, & sic in communi ius constituit. *l.de quibus. 32.ff.de legibus & §.ex non scripto.Inst. de iure naturali.* veluti in proposito argumento, si subditi alicuius parochiæ præstent alteri clerico decimas, parocho id dissimulante vel tacente. Præscriptio vero, quando alicui personæ, vel etiam pluribus coniun-

coniunctim per possessionem vel quasi, legitimi temporis ius aliquod adquiritur, sicut liquet ex tit. Decretalium, *de præscriptionibus & tit. Cod. de prescript. longi temp. 10. vel 20. annorum, cum aliquot seqq. titulis.* Quamuis & interdum præscriptio pro consuetudine accipiatur. vt *in c. fi. extr. de præscript. cum similibus: de quibus latius Franciscus Balbus in tractatu de prescript. in prima parte principali quæst. 10.*

Dixi per possessionem vel quasi, vt vtramque possessionem tam rerum incorporalium quam corporalium complecterer. Siquidem possessio propriè est rerũ corporalium. *l. sequitur §. si viam. ff. de vsucapio. & l. 3. in pr. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Quasi possessio, rerum incorporalium. Quamuis & iure vsurpatum sit, vt & res incorporales simpliciter possideri dicantur. *c. ad aures. 6. extr. de præscript. & c. 1. eod. tit. in 6.* Quare & nos in hoc tractatu vtimur interdum verbo possessionis etiam in rebus incorporalibus. 2.

Quod igitur consuetudine ius decimandi parochiali ecclesiæ ex præscripto sacrorum canonũ competens, alteri ecclesiæ adquiratur probat *textus in c. cum sint homines. 18. & c. ad Apostolicæ. 20. extr. de decimis.* Et ratio est quia consuetudo derogat iuri communi. *c. vlt. extr. de consuetud.* & cõsequenter ius alteri ecclesiæ competens in aliam ecclesiam transfundit. *c. cum dilectus 8. extr. d. tit. de consuetud.* Nec enim ex necessitate iuris est, vt præcisè parocho loci prædiales decimę soluantur: 3.

cum sufficiat eas solui Deo in signum vniuersalis dominij, in vsum scilicet, clericorum quorumcunque, qui consuetudine, aut alio iusto titulo nituntur *c. tua nobis. 26. extra. de decimis.*

4. Dum tamen hæc consuetudo (vt & aliæ locorum consuetudines) rationabilis sit, & legitimè præscripta. *d. c. vlt.*

Sed magnæ quæstionis est (vt & obiter hoc inseram) quæ dicatur consuetudo rationabilis quæue legitimè præscripta? Anxiè de vtroque inquirunt Doctores, vt videre est apud Panormitan. *in d. c. vlt.* & Menochium *de arbitrar. iudicum casu. 81. cum seq. & alios* quos hîc consulto omitto. Sed præ cæteris verior nobis sentẽtia videtur eiusdem Panormitani in d. c. vlt. qui secutus Hostiensem, & Ioannem Andreæ existimat rationabilem consuetudinem certo iure definitam nõ esse, sed pendere ex æstimatione iudicis, cuius est considerare an consuetudinis finis bonus sit, an reprobus; an iustæ siue iniustæ rationi innitatur. Quam & sententiam communi calculo receptam, attestatur Andr. Gail. *lib. 2. obser. 31. num. 12.* Et confirmatur ex vulgata iuris sententia, qua ea quæ à iure definita non sunt censeantur relicta arbitrio iudicis *per tex. in l. 1. in fi. ff. de Iur. deliberandi. in l. 1. § expilatores. ff. de effractoribus. in c. fi. extr. de transactionib. & c. de causis 4. in fi. extr. de officio & potestate iudic. deleg.* Quare & idem retinendum est in consuetudine, quando ea præscripta dici possit; vt similiter id ad arbitrium iudicis redigatur; ob eandem

dem rationem, quod ſcilicet, id non ſit definitum iure certo. Iudex igitur circumſpectus in exploranda conſuetudine vtrum ea rationabilis & legitimè præſcripta ſit, diſpicete id & æſtimare debet; Vt & præſcribit Alexandri Imp. conſtitutio in l. 1. C. quæ ſit longa conſuetud. Cuius verba hic ſubijcere libet: *Præſes prouinciæ probatis ijs quæ in oppido frequenter in eodem controuerſiarum genere ſeruata ſunt, cauſa cognita ſtatuet: Nam & conſuetudo præcedens & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, cuſtodienda eſt, & ne quid contra longam conſuetudinem fiat ad ſolicitudinem ſuam reuocabit Præſes prouinciæ.* Quare conſuetudo an rationabilis & legitimè præſcripta ſit, pendet à cognitione & æſtimatione iudicis. Præſcripta, inquam, id eſt ſufficienti conſenſu populi introducta. Vnde huius verbi *præſcripta* alia ſignificatio eſt in præſenti argumento quam ſub titulis Decretalium *de præſcriptionib. & C. de præſcript. longi temporis, cum ſimilibus*: quibus res tunc præſcripta dicitur quando per continuationem poſſeſſionis temporis à iure definiti, alteri ius adquiſitum vel ablatũ eſt.

Ceterum propius ad rem regrediendo: Ex prædictis liquet conſuetudinem valere, vt decimæ vnius eccleſiæ, alteri eccleſiæ pendantur.

Idem & præſcriptione fieri poſſe comprobat textus *in c. ad aures. 6. extra. de præſcript.* cuius verba placet & hîc adſcribere. *Ad aures noſtras peruenit, duas eccleſias litigaſſe ſuper decimis quas vna earum in alterius parochia, 40. annis poſſedit. & infr.* 5.

Tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quod de iure melior est conditio possidentis; Quia quadragennalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit. Dummodo hæc quadragennalis præscriptio & bonæ fidei sit & cum titulo, aut si titulus desit, immemorialis, hoc est eius temporis cuius possessionis initij memoria non existit. Quod hîc supplendum est, ex Bonifacij VIII. rescripto in c. de præscript. in 6. Cuius verba lubet etiam hîc adscribere, eo quod Doctores nostri inde eruant regulam quandam generalem, quæ & ad alios casus producitur.

6. Igitur verba d.c.1 ita habent; *Episcopum qui ecclesias & decimas, quas ab eo repetis, proponit (licet in tua sint constitutæ diœcesi) se legitimè præscripsisse, allegare oportet (cum ius commune contra ipsum faciat) huiusmodi præscriptionis titulum & probare. Nam licet ei qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium ius commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides, vbi tamen est ei ius commune contrarium vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi: nisi tanti temporis allegetur præscriptio cuius contrarij memoria non existat.* Hactenus tex. sed eius facti speciem plenius inspiciamus. Erant duo Episcopi diuersarum diœcesium, quorum vnus in alterius diœcesi possidebat ecclesias & decimas, quas cum alter repeteret tanquam ad suam diœcesin spectātes. ex *c. omnes Basilicæ. 16. q. 7. c. 1. cum tribus cap. seqq.* 10 q. 1.

10.*q.*1.*c.*1. *§ has vero decimas d.q.*7. alter excipiendo ita occurrit, quod eas legitimè præscripsisset. Vnde de hac re consultus Summus Pontifex, rescribit eum præter præscriptionẽ allegare & probare oportere, præscriptionis titulum; hancque generalem rationem subijciẽs: quod licet in præscriptione rei ecclesiasticæ sufficiat bona fides: tamen vbi ius commune vel præsumptio refragatur præscribenti, necessariam esse & tituli probationem, aut saltem immemorialem præscriptionem.

7. Ex qua ratione Doctores nostri hanc regulam generalem conficiunt; quod vbi ius commune, vel præsumptio est contra præscribentem, requiratur necessario titulus possessionis in præscribẽte, alias opus esse immemoriali præscriptione. *Glossa. Geminianus & Franciscus in idem c.*1. *Ioann. Andr. in summario eiusdem c.*1. *Panor. in c. de quarta. extr. de præscript. Couar. lib.*1. *var. resolut. cap.*17. *nu.* 7. *Balbus in tracta. de præscript. in* 2. *parte* 3. *principal. q.*6. *nu.*10.

8. Ceterum huic præscriptioni iuris decimandi tria potissimum refragari videntur. Primum est, cum hoc ius decimandi incorporale sit; possideri non potest: *d. l. sequitur.* 4. *§. si viam. ff. de vsucap. & l. seruitutes.* 14. *ff. de seruitut.* At vero sine possessione non procedit præscriptio *c.*3. *de reg. iuris in* 6. *& l. sine possessione,* 25. *ff. de vsucapionibus.* Secundum est, quod in præstationibus annuis, vel alterius certi temporis, tot sint præscriptiones,

quot sunt anni siue tempora decursa. *l. cum notissimi. 6. §. in ijs etiam C. de praescriptionibus.* 30. *vel* 40. *annorum.* Textū huius §. suis verbis subijciamus. *In ijs etiam promissionibus, legatis vel alijs obligationibus quae dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum praesumptionum.* 30. vel 40. annorum *non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusq; anni vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est.* Quare ex hoc §. inferri videtur, quod in decimis praedialibus, quę plerunq; annuę sunt, aut certi alterius temporis, nō currat vna pręscriptio sed separatim cuiusq; anni vel temporis quo decimę solui debent. Tertium argumentum est, quod in omni pręscriptione abesse debet mala fides, id est, conscientia mala qua possessor putat alienam rem non esse suam. *c. si. extra de praescript.* At qui possidet alienas decimas in mala fide est, quia contra ius possidet quo parocho loci debentur decimae. *vt supra cap.* 8. *comprobauimus.* Esse autem in mala fide eum qui contra ius possidet, probat iuris regula. in *c. qui contra. de reg. iuris in 6. & textus in l. quemadmodum. 7. in fine. Codice de agricol. & censitis, libro vndecimo.* Cui consequens est, clericum decimas alienas possidentem, non posse eas praescribere obstante mala fide ipsius.

Quibus tamen nihil impedientibus inconcussa manet haec iuris conclusio, quod decimae per praescriptionem alteri ecclesiae recte acquirantur,

rantur, *per textum in d.c.ad aures, & in d.c.1.de præscript.in 6.*

Nec obstat primum argumentum: quod licet rei incorporalis nulla sit possessio propria, vtpote quæ tantummodo est rei corporalis. *l.1.in fin.principij.ff.de acquir. vel amitt.possession.* attamen cum rei incorporalis quasi possessio detur. *c. querelam. 24.extr. de electione. & c.3.extra.de causa possess.& propriet.* receptum quoque à iure est, vt & res incorporalis præscribi possit. *l. 1. & l.2. C.de seruitut. & l.si quis diuturno.10.ff.si seruit.vendic.* Vt hinc & ius decimandi licet incorporale, recte quoque præscribi dicatur. *d. c.ad aures. & d.c.1. de præscription.in 6.* 9.

Quo ad secundum argumentum illud quidem maioris momenti videtur prima fronte; nihilominus facile tollitur, si dicamus in decimis præscribendis diuersum esse, quam in alijs præstationibus annuis, vel alterius certi temporis. Quia præstatio decimarum non venit ex contractu vel vltima voluntate, de qua loquitur *d. §.in ijs etiam.* Sed ex dispositione sacrorum canonum à quibus in modum regulæ statutum est, vt ex omnibus fructibus & obuentionibus decimæ soluerentur, *vt sup.c.1.late deductum est.* Quæ hæc regula, cum vna sit, vnamque & simplicem obligationem inducens, factum quoque est vt & sufficeret contra decimas vna præscriptio per *d. c.ad aures, & d.c.1.in 6.* Ex sententia Baldi *in d.c.quarta; nu.5.extr.de præscript.* 10.

Quare magis assentiendum puto Panorm. interpretationi; quod scilicet, laici decimas ante Concilium Lateranense in feudum receptas licitè quidem possideant, sed non sine periculo animæ, vtpotè cessante Ecclesiæ necessitate, ob quam eas in feudum acceperunt. *Vnde & in eodem c. cum Apostolica* monentur non coguntur laici eas restituere. Monentur, inquam, ad auertendum malum quod fortè illis intentat Deus propter retentionem diuturniorem, cum decimæ sint & dicantur, sanctuarium Dei, & tributa egentiũ animarum. *c. adhæc 15. & c. tua nobis. 26. ext de decim.* Itaq, hæc monitio maioris cautionis gratia fit. Vnde

Vnde minimè probabile eſt, quod exiſtimat Archidiaconus *in c.2.nu.2.de decimis in 6.cum nonnullis alijs quos ibidem recitat* decimas illas ante Concilium Lateranenſe in feudum datas fuiſſe tantummodo ad vitam quibus conceſſæ erant, non vero ad hæredes pertinuiſſe,nõ obſtante verbo *perpetua in d.c.cum Apoſtolica & c.2.§.ſanè in fi.de decimis in 6.* Cum & illud perpetuum dicatur quod durat ad vitam alicuius. *l.1.ff.pro ſocio*, atque idcirco putat rectè dici *in d.c. prohibemus*, laicos cum animarum ſuarum periculo decimas detinentes,&c. non intelligendo primos inueſtitos de decimis, ſed hæredes ſiue ſucceſſores eorum: Sed hanc interpretationem. Ioannes Andr. *in d.c.2.* rectè refellit hâc potiſſimum ratione. Quod ob id immerito Concilium Lateranenſe permiſiſſet decimarum translationem poſſe fieri in aliam eccleſiam quam in eam, cui aliâs iure feudi defuncto vaſallo competebant.

9. Porro hic quæſtionis eſt, quid de illis decimis ſentiendum ſit quas laicus quidem aſſerit ſe maioreſq; ſuos poſſediſſe;ſed ambigitur,an ante Cõcilium prædictum Lateranenſe? Sunt qui velint hunc laicum iuſtè eas decimas poſſidere,dummodo probet poſſeſſionem tanti temporis, vt eius initij memoria non extet. *Ioan. Andr. & Anton. de Butrio, & communiter alij. in d.c.cum Apoſtolica, prout eos citat Alexand. de Imola.conſ.6.num.5.lib.1.* Hoſtienſis contra *in idem c.cum,nu.*10.putat,tempus immemoriale non ſufficere, ſed neceſſe eſſe,

vt laicus probet maiores suos à quibus causam habet. decimas iure feudi possedisse ante decretum Vrbani II. vel saltem auctoritate summi Pontificis. Respicit Hostiensis ad c. 1. Episcopum vel Abbatem. in lib feudorum. Vbi hoc decretum Vrbani recitatur; sed generale est de rebus ecclesiæ non amplius concedendis in feudum; nihil ibi in specie de decimis: nisi forte postea noua necessitas Ecclesiæ inciderit, vt etiam coacta fuerit Ecclesia decimas laicis iure feudi concedere, & ita superuenerit hoc Concilium Lateranense quod speciatim & in decimis prohibuit, ne & in posterum eæ in feudum darentur, antea vero datæ ratæ haberentur.

Probat vero sentētiam suam Hostiensis quinque rationibus: quarum prima est: Quod ecclesia fundatam habeat intentionem suam de iure communi, ergo obtinere debet, nisi è contra possessor probet titulum. *c. si diligenti.* 17. *extra. de præscript.* Altera est, quia hic vertitur periculum animæ. ergo quod tutius est, sequendum est, argum. *c. iuuenis, extra. de sponsalibus, & c. illud.* §. *licet extr. de clerico excommunicato.* Tertia: Quia talis possessio odiosa est; cum non cadat in laicum regulariter. *c. causam quæ.* extra. de præscript. Quarta. Quod summa ratio est quæ pro religione facit, *l. sunt personæ.* 43. *in fi. ff. de religios. & sumptibus funer.* Quintam rationem vti infirmam consulto omitto. Vnde colligit in dubio pro ecclesia contra hunc laicum pronunciandum esse. Ego hac

in re

in re solo hoc argumento vti soleo ex doctrina Bartholi in l.1. Cod. si aduersus creditor. qua asferitur, vnumquemque probare oportere quod est causa intentionis suæ, siue sit actor siue reus per text. *in l. si minorem. 4. Cod. de in integrum restitut. cui conuenit omnino. l. 1. Cod. de probationibus, & l.1. & l. 2. ff. eod.* vbi ita Paulus IC. tus. Ei incumbit probatio qui dicit non qui negat. At qui allegat se maioresque suos decimas in feudum recepisse ante Concilium Lateranense, cum it fundamentum intentionis suæ; tum & facti quæstio est, id probare tenetur. Neque enim iuuat immemorialis possessio siue detentio, quæ nulla dari potest in laico : nisi tribus casibus quos ante hoc eodem capite recensuimus, quique ante omnia doceri debet, *cap. 2. de restitution. spoliatorum. in sexto.* Atque huius sententiæ quoque sunt, Ioannes Monachus & Archidiaconus teste Panormitan *in d. c. cum Apostolica. numero 12. extra. de his quæ fiunt à prælatis.* licet Ioannes Andræas existimet in hac re sufficere immemorialem possessionem & famam, quod scilicet, decimas ante Concilium Lateranense iure feudi obtinuerit laicus; cuius opinionem æquam esse censent Panormitanus. d. numero 12. & Felinus *in d. c. causam numero 3. de præscript.* alias enim, inquit, fieri posset, vt propter difficultatem probationis laicus priuaretur iure suo.

Hæc igitur opinio Ioan. Andr. duo simul exi-

git, & immemorialem præscriptionem & famam; quamuis ne quidem famam requirere videntur Butrius & Immola *in d. c. cum Apostolica & alij apud Did. Couarr. var. resol. lib. 1. cap. 17. num. 5. circa fin.* existimantes vltra immemoriale tempus non requiri famam sed sufficere hoc tempus ad probationem tituli; quod scilicet, laicus decimas iure feudi ante Concilium Lateranense adquisiuerit. Quippe ex immemoriali præscriptione titulus præsumitur. *c. 1. de præscript. in 6. & l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æstiua.* Neque his repugnare, aiunt, quod laicus præscribere nõ possit ius decimandi propter defectum possessionis; Quia hâc specie laicus non tam præscriptione nititur quam præsumptione tituli, quæ exurgit ex lapsu temporis immemorialis, quod videlicet ipse laicus maioresúe eius licitè, id est, ante Concilium Lateranense decimas feudi titulo possederint.

Sed & hæc sententia si rectius inspiciatur planè conuenit cum opinione Ioan. Andr. nam ad essentiam immemorialis præscriptionis est, quod & communis fama eam testetur, & de contrario vsu nulla extet memoria. *per text. in l. si arbiter. 28. in fi. ff de probationibus*, sicut supra cap. 9. fusius explicauimus. Et sanè hanc opinionem quæ eadem & cum priore, non difficile esset defendere propter immemoriale tempus, quo alias præsumptio tituli induci censetur. *d. c. 1. in fi. de præscript. in 6.* nisi, expressum ius laico aduersaretur, quo statuitur & decla-

declaratur, laicum incapacem esse possessionis iuris decimandi: quod initio huius capitis demonstrauimus. Vnde necessario consequens est, elidi hanc præsumptionem contra expressum ius introductam, quo sicut possessio negatur in laico, ita & præsumptio tituli quæ ex hac immemoriali possessione oritur.

10. Extat quidem hac de re præiudicium Capellæ Tolosanæ inter Episcopum Canturiensem & nobilem quendam; cuius antecessores cum decimas ab immemoriali tempore iure feudi possedissent, idque testaretur publica fama; decidit, vt hic nobilis in idem feudum confirmaretur; sed addit, propter scandalum quod graue imminebat, si feudum ab eo ablatum fuisset, tum & conseruandæ pacis causâ; Igitur sola præsumptio tituli ex immemoriali tempore, non sufficiebat, nisi etiam & pacis studium, & scandali euitatio accessissent. Vide decisionem 440. Capellæ Tolosanæ, *& facit text. in c. 1. distinct. 51. & quod tradit D. Thom. 2. 2. q. 87. ar. 1. in fin. de decimis non petendis per ministros ecclesiæ, ratione scandali.*

11. Non tamen hic omittendum est, quod docet glossa *in cap. quamuis. 17. extra, de decimis.* Fructus decimarum concedi posse laico ex causa, ad tempus vitæ suæ; non autem ius ipsum decimandi; sed vt decimas nomine & titulo ecclesiæ percipiat.

Quam sententiam Doctores ibi frequentiori calculo admittunt, teste Couarruu. *d. c. 17. nu. 5.*

Eandem glossam *dict. cap. quamuis.* vocat Panormitanus ibidem numero 4. quotidianam & maxime not. si tamen interuenerit Superioris auctoritas.

Sed & fructus decimarum laicis elocari posse extra controuersiam est. *per cap. 2. extra de locat. & ibi tradunt Butrius, Imola, Ananias, Panormitan.* dummodo hæc locatio in modicum tempus contracta sit, hoc est, ad decem annos non porrigatur. *c. 1. de rebus ecclesiæ non alienand. in Clement. & ibi glossa & Panormit. & Imola in d. c. 2.*

12. Quod autem modicum tempus ita accipiendum sit, facile conijcitur *ex c. querela. 4. extra ne clerici vices suas.* quo loco valet concessio ecclesiæ, id est, obuentionum ecclesiæ pro annuo censu, per septennium. Nisi quod hodie ex constitutione Pauli II. *in c. vnic. de reb. ecclesiæ non alienan. in Extrauag. communib.* rerum ecclesiasticarum locatio & conductio coarctata sit, ne triennium excedat. Intellige vbi scilicet hæc constitutio recepta est, de quo late *Couarru. variar. resolut. lib. 2. cap. 6. & Nauarrus in cap. non liceat. 12. quæst. 2. nu. 21.*

CA-

CAPVT XIV.

Vtrum laicus de decimis iure feudi inuestitus ante Concilium Lateranense, possit alium laicum subfeudare? Et quid de feudo decimarum ad ecclesiam reuerso.

Summaria.

1. *Feudum vni concessum alteri ab eodem subfeudari potest.*
2. *Sed an idem in feudo decimarum? n.4.*
3. *Feudum decimarum ad ecclesiam reuersum an rursus in feudum concedi possit à prælato.*

EA feudi natura ordinaria est, vt vni concessum possit ab eodem subfeudari, id est, rursus in feudum alteri concedi, dummodo æque idoneo & eadem lege detur. *c.1.§.1.qualiter olim poterat feudum alienari. c.1.§.similiter.de lege Corradi.& §.Imperialem. §. illud quoque.de prohibita feudi alienatione per Fridericum.* 1

At quæstionis est, an idem sit in feudo decimarum concesso laico ante Concilium Lateranense, de quo proximo capite egimus? Quod putat Bernardus *in ca. prohibemus. 19. in glossa verb. laicos.extr.de decimis.* dum tamen id fiat assentiente Episcopo. Nam videntur decimæ iam natu- 2

ram

ram feudi induisse. Sed contra rectius dicitur per *text. in c. cum Apostolica. 7. extra de his quæ fiunt à Prælat. & in d. c. prohibemus*. Vtriusque capituli textum superiore capite recitauimus, & ex communi interpretatione Doctorum tradit Panor. *in d. c. prohibemus, per eundem textum.* dum is indistincte prohibet decimas, id est, ius decimandi transferri in laicos. Apertius vero ex d. cap. cum Apostolica, hæc sententia confirmatur, dum diserte loquitur de feudo decimarum, vt, scilicet, decimæ semel in feudum concessæ restituantur vel ipsi ecclesiæ, ad quam alias de iure spectant, vel alteri ecclesiæ siue religioso loco applicentur cum assensu Episcopi. Non igitur in feudum alteri laico dari possunt. Eiusdem quoque sententiæ, quod ne quidem Episcopo approbante huiusmodi decimæ laico subfeudari possint, sunt Hostiensis, Ioan. Andr. Henricus, Curtius & alij apud Didac. Couarru. *lib. 1. var. resolut. c. 17. nu. 5.*

3. *vers. præter hæc & illud.* qui & idem obtinere volunt in huiusmodi feudo extincto, & ad ecclesiam reuerso. Quod ex sententia d. c. cum Apostolica satis eruitur. De quo vide quæ fusius tradunt Imola *in c. 2. num. 39. cum seq. extra. de feudis. & Iason de feudis, titul. qui feudum dare possunt. numero 13.*

4. Vnde falsum est, quod ante diximus, decimas in feudum concessas amisisse ius suum spirituale & induisse naturam feudi secularis, ita, quod sine vitio deinceps in alium laicum transferri possint; ex il-

ex illa iuris regula, qua res semel legitime alienata deinceps recte alienetur. *l.pater.36.§.quindecim.ff.de legatis.3.* Nam his repugnant ea quæ iam dicta sunt; ac proinde prædicta iuris regula huc transferri non potest, impediente iuris dispositione contraria *allegatis locis.* Etenim ius illud decimandi quod ex institutione sua spirituale est, tantummodo competens clericis ob executionem diuini officij, per huiusmodi concessionem feudi, clericis non adimitur, sed solum quo ad vtilitatem, id est, perceptionem fructuum, remanente proprietate, apud clericos; quod verba textus in d.c.cum Apostolica, videntur satis subindicare, dum inquit; quod monendus est laicus qui decimam detinet, vt eam restituat ecclesiæ ad quam spectat.

CAPVT XV.

De decimis per emptionem aut permutationem aut per similem titulum adquisitis.

Summaria.

1. *Laici nullo titulo sibi acquirere possunt ius decimandi.*
2. *Decimarum ius inæstimabile.*
3. *Grauissima comminatio in Prælatos & laicos ratione decimarum.*

4. Vita-

hæreditario possideri non debet) viribus carere decernas, & laicum (nisi decimam ipsi ecclesiæ libere resignauit) vinculo excommunicationis adstringas.

Quare ne quidem laici ex concessione Prælatorum ecclesiasticorum decimas licite detinent: multo minus ex concessione Principis aut alterius laici.

Hinc & canon Calixti Papæ seu potius Paschalis. 2. *Si quis Principum vel aliorum laicorum dispositionem seu dominationem*, aliâs donationem, *rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt sacrilegus iudicetur.* textus est in c. si quis. 16. q. 7. & ibi annotatio recens. Et in specie de decimis est cap. dudum. 31. §. ceterum. extra. de decimis.

4 Refert Gregorius Tholosanus ex Gaguino *syntagmatis, lib. 2. c. 25. nu. 7.* Carolum Martellum post deuictos & expulsos Agarenos, decimas ex consensu Episcoporum inter quosdam nobiles distribuisse easdemque breui & plura alia ecclesijs restituturum pollicitum fuisse, sed morte preuentum minime id perfecisse; atque idcirco eius animam à dœmonibus in infernum fuisse delatam. Quod in vltionem tantæ vsurpationis (ait idem Tholosanus) videtur accidisse, ob sacrilegium Ecclesiæ illatum: cum nullus Princeps, Rex vel Imperator, has decimas vsurpare, minusque alijs laicis concedere possit. Quem vide latius ibidem.

Ex quibus factum cuiusdam rustici nulla ratione

tione defendi poteſt,qui cum decimas detineret, & earum nomine ſibi controuerſiam futuram metueret per parochum aut alium clericum, cui alias legitime debebantur, ceſſit eas in feudum cuidam Duci aut Comiti, vt ita agenti potentiorem aduerſarium obijceret. Nam non tantum hæc ceſſio nulla eſt, vtpote ſacris Canonibus aduerſa,ſed & incidit res in pœnam.*l.1.C.ne liceat potentioribus.* Tum etſi licita ceſſio eſſet: non tamen idcirco liberaretur ruſticus quin adhuc conueniri poſſet. *ex ca.1. de controuerſia inter vaſallum & alium. ca.1.§ ſi vaſallus de benefi. & ibi Baldus, ſi de feudo defi. contentio. & c.1. §. rei autem. de inueſtitura de re aliena.* Quare ruſticus ille perperam hac cautione vſus eſt.

CAPVT XVI.

Vtrum clericus per Parochum loci ſpoliatus decimandi iure, ante omnia reſtituendus ſit? Et quid de laico eodem iure ſpoliato?

Summaria.

1. *Spoliatus ante omnia reſtituendus.*
2. *Aliter in iure decimandi. & n.3.*
4. *Ratio diuerſitatis.*
5. *Et ex hac regula generalis.*
6. *Laicus fruſtra poſſeſſionem decimarum repetit.*

4. *Vindicta in Carolum Martellum & alios. & n. 5.*
5. *Rustici cuiusdam factum improbatur astutum.*

VT hine constitutissimi iuris sit; laicum nullo titulo siue emptionis siue permutationis siue donationis aut simili, ius decimandi sibi posse adquirere; sed si quod obtendit restituere eum oportere ecclesiæ ad quam spectat, sub pœnis à sacris canonibus præscriptis. *in c. adhæc. 15. c. quamuis. 17. & ca. prohibemus. 19. extra. de decimis. & c. 1. 16. q. 7.* non tantum ideo, quod laicus iuris decimandi incapax sit, sicut supra cap. 13. latius docuimus. Sed & si per emptionem vel permutationem, vel similem titulum onerosum, qui æstimationem recipit, sibi adquisierit decimas, id frustra quoque fieri: cum apud omnes in confesso sit, ius decimandi esse spirituale, ac proinde nullam æstimationem recipiat, vt expresso textu cauetur in c. vlt. in fine. extra. de rerum permut. cuius verba hic adscribam: *Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur) prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id irritum decernatis.* Erat autem in specie dict. cap. vltim. causa decimarum in arbitros compromissa, qui cum pronunciassent, vt altera pars recepta certa pecuniæ summa, à decimarum petitione cessaret; consultus ea de re Sum. Pontifex improbat arbitrorum sententiam ex hoc capite, quòd ius decimandi vtpote spirituale, cùm pecunia contulerint & æstimauerint. Vnde rectissime di-

dicitur, vt nec ius decimandi emi vel vendi possit: sicut & fatentur ibi.glo.& Hosti. Quæ ratio cum ex natura ipsius rei desumpta sit, valet & inter clericos & monachos, vt nec hi ius decimandi titulo æstimabili possint acquirere vel transferre. Sicut accidit in d. ca.vlt. Vnde mirandum, est hoc tempore laicos nulla huius religione tangi, dum impune decimas comparant & detinent, contra sacros canones, adeoq; sacrilegij crimine se obstringunt, ex decreto Gregorij VII. in Concil. Later.cuius verba sup.c.13.recitauimus. Quibus accedat grauissima comminatio Alexandri III. in Prælatos ecclesiarum & laicos ab illis decimas recipientes in c. quamuis.17.& c.adhæc.15.extr. de decim. Prioris verba hæc sunt: *Quamuis graue nimis, & diuina dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est in ecclesiasticis rebus vsurpant; maiorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso clero aliquoties inuenire; dum quidam Prælatorũ Ecclesiæ, decimas & ecclesias disponere eis indulgẽt, & eos in deuia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viã vitæ fuerant reuocandi*: & inf. *Statuimus, vt si quis alicui laico in seculo remanenti ecclesiã, decimam oblationemq; concesserit, à statu suo sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ iaceat ruinæ prostratus*. Posterioris c.tex. hic est. *Adhæc donationem decimæ, quam Abbas Sancti S. de monstrali, cuidam laico concessit, per successionem tenendam. (Quoniam Sanctuarium DEI iure hære-*

3.

4. *Vindicta in Carolum Martellum & alios. & n. 5.*
5. *Rustici cuiusdam factum improbatur astutum.*

VT hinc constitutissimi iuris sit; laicum nullo titulo siue emptionis siue permutationis siue donationis aut simili, ius decimandi sibi posse adquirere; sed si quod obtendit restituere eum oportere ecclesiæ ad quam spectat, sub pœnis à sacris canonibus præscriptis. *in c. ad hæc. 15. c. quamuis. 17. & ca. prohibemus. 19. extra. de decimis. & c. 1. 16. q. 7.* non tantum ideo, quod laicus iuris decimandi incapax sit, sicut supra cap. 13. latius docuimus. Sed & si per emptionem vel permutationem, vel similem titulum onerosum, qui æstimationem recipit, sibi adquisierit decimas, id frustra quoque fieri: cum apud omnes in confesso sit, ius decimandi esse spirituale, ac proinde nullam æstimationem recipiat, vt expresso textu cauetur in c. vlt. in fine. extra. de rerum permut. cuius verba hic adscribam: *Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur) prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id irritum decernatis.* Erat autem in specie dict. cap. vltim. causa decimarum in arbitros compromissa, qui cum pronunciassent, vt altera pars recepta certa pecuniæ summa, à decimarum petitione cessaret; consultus ea de re Sum. Pontifex improbat arbitrorum sententiam ex hoc capite, quod ius decimandi vtpote spirituale, cum pecunia contulerint & æstimauerint. Vnde rectissime di-

dicitur, vt nec ius decimandi emi vel vendi possit: sicut & fatentur ibi. glo. & Hosti. Quæ ratio cum ex natura ipsius rei desumpta sit, valet & inter clericos & monachos, vt nec hi ius decimandi titulo æstimabili possint acquirere vel transferre. Sicut accidit in d. ca. vlt. Vnde mirandum, est hoc tempore laicos nulla huius religione tangi, dum impune decimas comparant & detinent, contra sacros canones, adeoq; sacrilegij crimine se obstringunt, ex decreto Gregorij VII. in Concil. Later. cuius verba sup. c. 13. recitauimus. Quibus accedat grauissima comminatio Alexandri III. in Prælatos ecclesiarum & laicos ab illis decimas recipientes in c. quamuis. 17. & c. adhæc. 15. extr. de decim. Prioris verba hæc sunt: *Quamuis graue nimis, & diuina dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est in ecclesiasticis rebus vsurpant; maiorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso clero aliquoties inuenire; dum quidam Prælatorũ Ecclesiæ, decimas & ecclesias disponere eis indulgẽt, & eos in deuia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viã vitæ fuerant reuocandi:* & inf. *Statuimus, vt si quis alicui laico in seculo remanenti ecclesiã, decimam oblationemq; concesserit, à statu suo sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ iaceat ruinæ prostratus*. Posterioris c. tex. hic est. *Adhæc donationem decimæ, quam Abbas Sancti S. de monstrali, cuidam laico conceßit, per succeßionem tenendam. (Quoniam Sanctuarium DEI iure hære-*

3.

4. *Vindicta in Carolum Martellum & alios. & n.5.*
5. *Rustici cuiusdam factum improbatur astutum.*

1. VT hinc constitutissimi iuris sit; laicum nullo titulo siue emptionis siue permutationis siue donationis aut simili, ius decimandi sibi posse adquirere; sed si quod obtendit restituere eum oportere ecclesiæ ad quam spectat, sub pœnis à sacris canonibus præscriptis. *in c. adhæc. 15. c. quamuis. 17. & ca. prohibemus. 19. extra. de decimis. & c. 1. 16. q. 7.* non tantum ideo, quod laicus iuris decimandi incapax sit, sicut supra cap. 13. latius docuimus. Sed & si per emptionem vel permuta-
2. tionem, vel similem titulum onerosum, qui æstimationem recipit, sibi adquisierit decimas, id frustra quoque fieri: cum apud omnes in confesso sit, ius decimandi esse spirituale, ac proinde nullam æstimationem recipiat, vt expresso textu cauetur in c. vlt. in fine. extra. de rerum permut. cuius verba hic adscribam: *Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur) prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id irritum decernatis.* Erat autem in specie dict. cap. vltim. causa decimarum in arbitros compromissa, qui cum pronunciassent, vt altera pars recepta certa pecuniæ summa, à decimarum petitione cessaret; consultus ea de re Sum. Pontifex improbat arbitrorum sententiam ex hoc capite, quod ius decimandi vtpote spirituale, cum pecunia contulerint & æstimauerint. Vnde rectissime

di-

dicitur, vt nec ius decimandi emi vel vendi possit: sicut & fatentur ibi. glo. & Hosti. Quæ ratio cum ex natura ipsius rei desumpta sit, valet & inter clericos & monachos, vt nec hi ius decimandi titulo æstimabili possint acquirere vel transferre. Sicut accidit in d. ca. vlt. Vnde mirandum, est hoc tempore laicos nulla huius religione tangi, dum impune decimas comparant & detinent, contra sacros canones, adeoq; sacrilegij crimine se obstringunt, ex decreto Gregorij VII. in Concil. Later. cuius verba sup. c. 13. recitauimus. Quibus accedat grauissima comminatio Alexandri III. in Prælatos ecclesiarum & laicos ab illis decimas recipientes in c. quamuis. 17. & c. adhæc. 15. extr. de decim. Prioris verba hæc sunt: *Quamuis graue nimis, & diuina dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est in ecclesiasticis rebus vsurpant; maiorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso clero aliquoties inuenire; dum quidam Prælatorũ Ecclesiæ, decimas & ecclesias disponere eis indulgẽt, & eos in deuia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viã vitæ fuerant reuocandi:* & inf. *Statuimus, vt si quis alicui laico in seculo remanenti ecclesiã, decimam oblationemq; concesserit, à statu suo sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ iaceat ruinæ prostratus.* Posterioris c. tex. hic est. *Adhæc donationem decimæ, quam Abbas Sancti S. de monstrali, cuidam laico concessit, per successionem tenendam. (Quoniam Sanctuarium DEI iure*

hære-

3.

4.

4. *Vindicta in Carolum Martellum & alios. & n.5.*
5. *Rustici cuiusdam factum improbatur astutum.*

VT hinc constitutissimi iuris sit; laicum nullo titulo siue emptionis siue permutationis siue donationis aut simili, ius decimandi sibi posse adquirere; sed si quod obtendit restituere eum oportere ecclesiæ ad quam spectat, sub pœnis à sacris canonibus præscriptis. *in c. adhæc. 15. c. quamuis. 17. & ca. prohibemus. 19. extra. de decimis. & c. 1. 16. q. 7.* non tantum ideo, quod laicus iuris decimandi incapax sit, sicut supra cap. 13. latius docuimus. Sed & si per emptionem vel permutationem, vel similem titulum onerosum, qui æstimationem recipit, sibi adquisierit decimas, id frustra quoque fieri: cum apud omnes in confesso sit, ius decimandi esse spirituale, ac proinde nullam æstimationem recipiat, vt expresso textu cauetur in c. vlt. in fine. extra. de rerum permut. cuius verba hic adscribam: *Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur) prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id irritum decernatis.* Erat autem in specie dict. cap. vltim. causa decimarum in arbitros compromissa, qui cum pronunciassent, vt altera pars recepta certa pecuniæ summa, à decimarum petitione cessaret; consultus ea de re Sum. Pontifex improbat arbitrorum sententiam ex hoc capite, quod ius decimandi vtpote spirituale, cum pecunia contulerint & æstimauerint. Vnde rectissime di-

dicitur, vt nec ius decimandi emi vel vendi possit: sicut & fatentur ibi. glo. & Hosti. Quæ ratio cum ex natura ipsius rei desumpta sit, valet & inter clericos & monachos, vt nec hi ius decimandi titulo æstimabili possint acquirere vel transferre. Sicut accidit in d. ca. vlt. Vnde mirandum, est hoc tempore laicos nulla huius religione tangi, dum impune decimas comparant & detinent, contra sacros canones, adeoq; sacrilegij crimine se obstringunt, ex decreto Gregorij VII. in Concil. Later. cuius verba sup. c. 13. recitauimus. Quibus accedat grauissima comminatio Alexandri III. in Prælatos ecclesiarum & laicos ab illis decimas recipientes in c. quamuis. 17. & c. adhæc. 15. extr. de decim. Prioris verba hæc sunt: *Quamuis graue nimis, & diuina dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est in ecclesiasticis rebus vsurpant; maiorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso clero aliquoties inuenire; dum quidam Prælatorũ Ecclesiæ, decimas & ecclesias disponere eis indulgẽt, & eos in deuia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viã vitæ fuerant reuocandi:* & inf. *Statuimus, vt si quis alicui laico in seculo remanenti ecclesiã, decimam oblationemq; concesserit, à statu suo sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore suæ iaceat ruinæ prostratus*. Posterioris c. tex. hic est. *Adhæc donationem decimæ, quam Abbas Sancti S. de monstrali, cuidam laico concessit, per successionem tenendam. (Quoniam Sanctuarium DEI iure hære-*

3.

hæreditario possideri non debet) viribus carere decernas, & laicum (nisi decimam ipsi ecclesiæ libere resignauit) vinculo excommunicationis adstringas.

Quare ne quidem laici ex concessione Prælatorum ecclesiasticorum decimas licite detinent: multo minus ex concessione Principis aut alterius laici.

Hinc & canon Calixti Papæ seu potius Paschalis. 2. *Si quis Principum vel aliorum laicorum dispositionem seu dominationem*, aliâs donationem, *rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt sacrilegus iudicetur.* textus est in c. si quis. 16. q. 7. & ibi annotatio recens. Et in specie de decimis est cap. dudum. 31. §. ceterum. extra. de decimis.

4 Refert Gregorius Tholosanus ex Gaguino *syntagmatis, lib. 2. c. 25. nu. 7.* Carolum Martellum post deuictos & expulsos Agarenos, decimas ex consensu Episcoporum inter quosdam nobiles distribuisse easdemque breui & plura alia ecclesijs restituturum pollicitum fuisse, sed morte preuentum minime id perfecisse; atque idcirco eius animam à dœmonibus in infernum fuisse delatam. Quod in vltionem tantæ vsurpationis (ait idem Tholosanus) videtur accidisse, ob sacrilegium Ecclesiæ illatum: cum nullus Princeps, Rex vel Imperator, has decimas vsurpare, minusque alijs laicis concedere possit. Quem vide latius ibidem.

Ex quibus factum cuiusdam rustici nulla ratione

tione defendi poteſt, qui cum decimas detineret, & earum nomine ſibi controuerſiam futuram metueret per parochum aut alium clericum, cui alias legitime debebantur, ceſſit eas in feudum cuidam Duci aut Comiti, vt ita agenti potentiorem aduerſarium obijceret. Nam non tantum hæc ceſſio nulla eſt, vtpote ſacris Canonibus aduerſa, ſed & incidit res in pœnam, *l.1.C. ne liceat potentioribus.* Tum etſi licita ceſſio eſſet: non tamen idcirco liberaretur ruſticus quin adhuc conueniri poſſet. *ex ca.1. de controuerſia inter vaſallum & alium. ca.1.§ ſi vaſallus de benefi. & ibi Baldus, ſi de feudo defi. contentio. & c.1.§. rei autem. de inueſtitura de re aliena.* Quare ruſticus ille perperam hac cautione vſus eſt.

CAPVT XVI.

Vtrum clericus per Parochum loci ſpoliatus decimandi iure, ante omnia reſtituendus ſit? Et quid de laico eodem iure ſpoliato?

Summaria.

1. *Spoliatus ante omnia reſtituendus.*
2. *Aliter in iure decimandi. & n.3.*
4. *Ratio diuerſitatis.*
5. *Et ex hac regula generalis.*
6. *Laicus fruſtra poſſeſſionem decimarum repetit.*

7. *Glossæ opinio reprobata.*
8. *Remotio obiectionis ex ca. eum qui. de præbend. in 6. & l. si quis in tantam. C. vnde vi.*
9. *Spoliatus iure decimandi pendente lite, an restituendus.*

1. EX facto quæsitum memini: Erat quidam clericus qui in aliena parochia decimas possidebat, sed parochus loci interuertens ei possessionem, eas in horreum suum congessit: quæsitum fuit, an iure id fecerit parochus?

Et videtur non iure fecisse, quod propria auctoritate hac in re vsus fuerit, contra *l. non est singulis. ff. de regulis iuris. & l. vnicam. C. ne quis in causa sua.* Ideoque consequens est, clericum statim contra parochum restituendum esse, iuxta iuris vtriusq; regulam, qua spoliatus ante omnia restitui iubetur, etiamsi is prædo sit. *c. in literis. 5. ext. de rest. spol. ca. omnes. 2. q. 2. l. 1. §. qui à me. ff. de vi & vi arm. & §. recuperandæ. instit. de interdict.*

Spoliatum eum dicimus, qui possessione sua vel quasi, deiectus siue priuatus est, iudicij ordine omisso: Possessionem intellige rerum corporalium, quasi possessionem rerum incorporalium, vt est & ius decimandi, vt alias supra meminimus; Neque spoliato referri potest à spoliatore quæstio dominij aut quod potius ius in re habeat quam spoliatus; hoc enim ad petitorium iudicium pertinet, cuius diuersa ratio est à possessione. *l. naturaliter. 12. § nihil commune. ff. de acqui-*

rend

vend. vel amitt. possession. ac proinde videtur clericus inique spoliatus & subsequenter ante omnia restituendus. *iam dict. iuribus.*

Verum aliter sacris canonibus visum est; clericum hunc non aliter restituendum esse, quam docuerit se iusto titulo decimas possedisse, sicut probat elegans textus in c. 2. de restitut. spoliatorum. in 6. cuius verba singularia hic subijciam. *Ad decimas, quas Canonici Sanct. Nicolai se asserunt infra parochiam ecclesiæ B. clerici possedisse aliquandiu, & eis per eundem clericum spoliatos fuisse; nequaquam debent restitui: nisi euidenter docuerint quod earum possessionem legitime assecuti fuissent. Quia eas occupasse iniuste verisimiliter præsumuntur, cum proueniant ex prædijs infra alienam parochiam constitutis; sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem ecclesiam pertinere.* Hic igitur casus singularis est, quod spoliati non ante restituuntur quam iustam causam possessionis suæ comprobauerint; videlicet, quod vel ex priuilegio S. Pontificis, vel ex consuetudine vel præscriptione, vel ex compromisso vel ex transactione legitime facta, ius decimandi sibi adquisierint. *sicut supra c. 9. fusius tradidimus.* 3.

Sed cur diuersum in hac specie statuitur? Rationem hanc reddit *idem ca. 2. de restit. spoliat. in 6.* quod Canonici Sancti Nicolai quorum hic fit mentio, verisimiliter præsumantur iniuste decimas possedisse; eo quod ex iuris præscripto ius decimandi pertineat ad parochialem ec- 4.

clesiam eius loci vbi fructus prædiorum colliguntur. Duo igitur hic restitutionem spoliatorum dissuadent, vnum, quod præsumptio iuris communis contra dictos Canonicos militaret, è contra vero faueret parochiali ecclesiæ ius commune, quoad ecclesiam parochialem spectant decimæ; quæ simul coniuncta *in dict. cap. 2.* impediunt restitutionem possessionis decimarum.

5. Vnde generalis iuris regula, qua iubetur spoliatus ante omnia restitui ex *hoc dict. cap. 2.* restringenda est, vt scilicet ea non obtineat, vbi ius commune facit contra spoliatum, è diuerso vero fauet spoliatori ex *dict. capit. 2. & tradunt ibi Ioann. Andr. & Philippus Francus, item Didac. Couarruuias varia. resolutionum lib. 1. cap. 17. num. 6. & Nauarrus in c accepta. 5. n. 21. extra. de restit. spoliat.* secus, si alterum ex his desit, hoc est, si vel iuris præsumptio non facit contra spoliatum, vel si facit, non tamen facit pro spoliatore. Quo casu necesse non est, quod spoliatus probet causam possessionis suæ, sed statim restitui debet, iuxta textum *in d. c. in literis. extra. de restitut. spoliat.* & facit textus elegans *in l. final. Cod. de rei vendicat. cum alijs ante citatis. item in ca. licet. 28. de præbend. in 6.* vbi prohibetur auferri possessio absque causæ cognitione ei qui duplex beneficium curatum possidet, licet prius ipso iure per posterius vacauerit. *iuncto capit. de multa. 28. extra. de præbend.*

Atq; hæc multo magis obtinent in laico, qui pos-

possessione, siue potius detentione iuris deciman- 6.
di à parocho loci spoliatus est; qui ideo minus restituitur, quod non solum militet contra eum ius commune & parocho faueat, sed & quod is iuris decimandi incapax sit. *ca. cum causam. 7. extra, de præscriptionib.* Vnde frustra laicus petit sibi restitui possessionem, quam nunquam habuit aut habere potuit. *dict. cap. cum causam.* aut si forte iuste habuit ante Concilium Lateranense vel ex priuilegio Summi Pontificis, de quibus fuse egimus *supra capite* 13. non tamen ideo laicus spoliatus ante restituitur quam titulum suæ possessionis comprobauerit *ex ratione dict. cap. 2. de restitut. spoliat. in 6.* Tametsi contra existi- 7.
met glossa iuris Canonici *in Summa.* 14. *quæst.* 1. *in verbo, possideri.* dum laicum spoliatum possessione decimandi ideo restituendum censet, quod etiam latro restituatur. *d. ca. in literis. extra. de restitut. spoliat.* Quam glossæ sententiam etiam in praxi receptam esse in Curia Gratianopolitana testatur Guido Papa *quæst.* 288. Sed merito refellitur à Didaco Couarruuia *d. num.* 6. & ex ijs quæ iam à me dicta sunt.

Quæ sane diligenter notanda sunt pro parochis quod hi decimas fructuum parochiæ suæ licite occupent & in horreum suum siue ecclesiæ, inferant, donec alter clericus vel laicus decimandi ius obtendens, iustum possessionis suæ titulum docuerit.

8. Neque his obstat *c. eum qui.* 18. *de præbend. lib.* 6.

quo laicus qui beneficium ecclesiasticum auctoritate propria occupat, priuatur iure suo si quod habet in beneficio. Quin & iure ciuili constitutum est, vt qui violenter inuadit promissionem rei suæ apud alium existentem, amittat eiusdem rei dominium; vel si non est dominus, teneatur præter, restitutionem rei, æstimationem quoque eius præstare *l. si quis in tantam. 7. C. vnde vi. & §. sed ne. Inst. de vi bonor. rapt.* Idque receptum est ad compescendam audaciam occupantium.

Sed cur non idem obseruatur in parocho possessionē decimandi alteri interuertente siue auferente? Responderi quidē posset id non parochi audacia vel temeritate fieri sed permissu iuris. *in d. c. 2. de re. spol. in 6.* At dolo non facit qui cōcesso iure vtitur. *l. nullus videtur. ff. de reg. iur. & l. Grachus. C. ad l. Iul. de adul.* Verum hęc ratio nō explicat diuersitatem iuris. Quare rectius dicitur *ex d. c. 2.* quod pro parocho loci, concurrat ius cōmune contra spoliatum, prout ante dictum est. At in specie *d. c. eum qui*, nullum ius est pro spoliatore, imo magis contra eum proceditur, quod antea beneficiū curam animarum annexam habens, alterum eiusdem generis inuaserit; & idcirco merito puniatur in priuationem iuris si quod habet in secundo. Textus v. in *d. l. si quis in tantam. & in d. §. sed ne.* loquitur de inuasione siue occupatione rei corporalis in qua cum maius periculū versetur, ne scil. partes ad arma decurrant. *l quoniam. 6. C. ad l. Iul. de vi publ.* non est eius pœna temere trausferenda ad

quasi

quasi possessionē rei incorporalis, vt est ius decimandi, *l. interpretatione. ff. de pœnis. & c. in pœnis. de reg. iur. in* 6. Sed quia hæc ratio omnino firma non est, quod ex multorū sententia remediū *d. l. si quis in tantam*, vtile saltem competat pro re incorporali. *Men. de rec. poss. rem. 9. n.* 268. Ideoq; magis cessare hoc casu pœnā, *d. l. si quis in tantam.* ob eandem rationem quam diximus de non restit. possess. clerico vel laico qui per parochum loci spoliatus est iure decimandi, atq; adeo eiusdē *l. pœnam*, ad præsentē casū trahi nō posse, ob presumptionē apertā quæ pro parocho militat & spoliato aduersatur.

9. Sed quid si parochus lite vel appellatione pendente hanc spoliationem intulerit? Et rectè respōdet Lapus Abbas *in d. c.* 2. spoliatum hoc casu restituendū esse etiamsi prius non docuerit titulū possessionis suæ. Idq; ex capite attentatorū. Nam certi iuris est, lite pendente vel appellatione, nihil innouari posse, donec liti finis impositus sit, *toto tit. extr. vt lite pendent. nihil innouet. l. vnic. ff. nihil innouari appell. pend. & l. constitutiones. 16. ff. de appellation.* Rationem hanc reddens, quod vis attentati magis sit priuilegiata quam possessorium recuperandæ; cum per attentationem offendātur ius, pars, iudicium & iudex; Eiusdem sententiæ suæ Lapus citat Innocentium, Hostien. & Ioan. And. quam & sequitur Geminianus *in d. c.* 2 *n.* 9. Quod in clerico spoliato verum esse censeo; in laico non item, nisi de priuilegio S. Pontificis vel de Concil. Lateranen. quo nititur laicus, controuersia esset.

Caput XVII.

Quibus modis quis eximitur à præstatione decimarum.

Summaria.

1. *Quilibet ad præstationem decimarum tenetur, nisi se exemptum probauerit.*
2. *Exemptio à decimis quibus ex causis, videlicet*
3. *Vel ex beneficio S. Pontificis: in quo tamen duo sunt animaduertenda. n. 4.*
5. *Vel ex loci consuetudine, vbi quoque explicatio c. in aliquibus. § fin. extr. de decim. & n. 6.*
7. *Refutatio aliorum interpretum.*
8. *Couarruuiæ sententia reiecta.*
9. *Auctoris sententia de consuetudine.*
10. *Consuetudo Hispaniæ in soluendis decimis.*
11. *Item Galliarum.*
12. *D. Thomæ sententia explicata. & n. 13.*
14. *De præscriptione immunitatis à decimis.*
15. *Quæ quatuor argumentis oppugnatur.*
16. *E contra confirmatur.*
17. *Contrariorum solutio.*
18. *De transactione, quomodo per eam decimæ tollantur.*
19. *De remissione decimarum.*

1. Certa iuris regula est, quêlibet ex præscripto sacrorum canonum ad functionem decimarum

rum teneri, & cogi posse, sicut supra *cap.* 4. latè comprobaui: nisi is contra, se exemptum docere possit. *c. à nobis.* 24. *extr. de decimis.* Vbi his verbis Innocentius III. *Cum igitur quilibet decimas soluere teneatur; nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*, &c. Quibus posterioribus verbis apertè innuitur, decimarum præstationem non ita præcisè omnibus & singulis incumbere, quin ab eadem interdum liberentur vel subleuentur.

2. Idque quinque ex causis contingere potest; vel priuilegio summi Pontificis, vel consuetudine loci, vel præscriptione, vel trāsactione, vel remissione eius cui decimæ debentur: Singulas has species perlustremus.

3. De summo Pontifice addubitari non conuenit propter supremā eius potestatem in ecclesias & ecclesiastica iura. *c.* 2. *in prin. de præbend. lib.* 6. Exempla extant *in c.* 3. *c.* 9. *c.* 10. *& c. pen. extra. de deci.* Idque obtinet tam in laicis quam in clericis donatarijs, ob eandem rationem.

4. In quo tamen animaduertendum est, ne priuilegium illud nimis damnosum sit ecclesiæ cui alias debentur decimæ. Nam hoc casu priuilegium sub vel obreptionis argui & refelli posset. *c. quid per nouale.* 21. *extra de verb. significat. iuncta. l.* 2. *C. de precibus Imperatori offerendis.* Idem iuris est, si ex post facto, causa priuilegij cessauerit. *c. suggestum.* 9. *extr. de decimis*: cum sublata causa tollatur quoque eius effectus. *c. cum cessante.* 60. *extra, de appellationib.*

5. De consuetudine, est textus *in c. in aliquibus. 32.*
6. *§. fi. extra de decimis.* Vbi his verbis Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi: *Illæ quippe decimæ necessario soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina vel loci consuetudine approbata.* Scio hunc textum variè à Doctoribus accipi. Nam Bernardus & Innocentius *ibidem*, exaudiunt eum de consuetudine loci in præstandis decimis huic vel alteri ecclesiæ, iuxta *c. cum sint. 18. & c. cum Apostolica. 20. extra. de decimis*: non vero intelligi volunt de quota decimarum, quam nolunt consuetudine loci posse tolli vel diminui, per textum *in c. quicunque. 16. q. 7. & c. cum homines. 7. extra. de decimis.* Quæ certè interpretatio non conuenit verbis eiusdem textus: Nam is disertè de ipsis decimis loquitur non de ecclesiis quibus decimæ præstantur. Quare alij hanc consuetudinem de quota decimarum intelligunt, sed quæ à S. Pontifice approbata sit. Verùm hæc sententia merâ coniecturâ nititur & apertè eidem textui repugnat in verbis, *vel loci consuetudine approbata*, Pontificis autem nulla mentio fit. Tertij verò consuetudinem hanc trãsferunt ad mores Theutonicorum, quos, aiunt loco decimarum annuatim præstare solitos certas mensuras, siue fructus colligantur siue non; Id ideo posse fieri existimantes propter incertum fructuum euentum. Quæ interpretatio planè aliena est. Hostiensis verò, verba d. §. fi. *ex lege diuina*, *intelligit* de prædialibus decimis, & subsequentia *vel loci consuetudine*

tudine de personalibus, Sed & hæc interpretatio sola coniectura ducitur. Vltimo, Ioannes Andreæ eius sententiæ est, quod putet consuetudine loci non posse diminui præstationem decimarum, sed è contra rectè posse augeri; Vt sensus sit, quod decimæ prædiales & personales, non solum necessario præstandæ sint, sed & quod vltra decimam ex consuetudine loci debetur, vt est nona, octaua, sexta pars. Sed & hæc interpretatio, sola coniectura est. Quas omnes interpretationes simul congessit Panormitanus *in d.* §. *fi.* quarum vltimam ipse magis probat.

71 Ceterum, Doctores ad comminiscendum has varias interpretationes, nulla alia ratio impulit, quam quod putent decimarum præstationem esse diuino iure introductam, atque idcirco contraria consuetudine eam abrogari vel minui non posse. *c. fi. extra de consuetud.* Ne igitur offendant ius diuinum, variè detorquent sententiam *d.* §. *fin.* Sed falluntur, sicut supra cap. 3. demonstrauimus, quo loco hanc distinctionem adhibuimus; quod decimæ quatenus subseruiunt exhibitioni clericorum, consuetudine aboleri, vel derogari eis non possit; vtpotè, quod hac specie iuris naturalis sint, adeoque diuini: quatenus vero extra causam exhibitionis clericorum sunt; iuris esse Ecclesiastici, non diuini vel naturalis; & consequenter in ijs locum esse consuetudini. *d. c. fin. extra. de consuetud.*

Vnde

Vndè alius sensus est *d.§.fi.* quod scilicet, illę decimæ necessario soluendæ sint, quæ debentur vel iuxta quantitatem, lege diuina cõstitutam, quam Ecclesia ex veteri Testamento desumptam noua sanctione reduxit & innouauit; vt accidit, vbi soluuntur integræ decimæ: vel iuxta quantitatem consuetudine loci receptam, vti fit, vbi soluitur minor quam decima pars; & tamen hæc quantitas etsi minor, vulgari more loquendi adhuc vocatur decima. *Bellarminus controuersia 5. lib.1.cap.25.de decimis dubio 1.*

Cui certè consequens est; si quota decimarum (quæ est decima pars) consuetudine loci diminuĩ possit; vt non decima sed duodecima, vel vigesima vel alia minor pars soluatur, poterunt & integræ decimæ eadem ratione consuetudine tolli, dummodo clericis, quibus alias debentur decimæ, aliunde ex prouentibus ecclesiasticis prospectum sit, arg. eorum quæ paulo post de præscriptione decimarum dicam.

8. In quo tamen dissentit Did. Couarr. *variar. resolut. lib.1.cap.17.num.8.in fi.* dum apertè improbat cõsuetudinem vti irrationabilem & omnino iniquam, quæ laicos omnino ab omnium personaliũ & prædialium solutione & obligatione eximit in aliqua regione vel Prouincia, etiamsi ibidem Sacerdotes spiritualia ministrantes aliunde quam ex decimis congruè possint alimenta percipere. Nimia etenim (addit) hæc est exemptio: siquidem ex ea tollitur recognitio quam iustissimum & æquissimum

quiſſimum eſt, Sacerdotibus miniſtrantibus ſpiritualia exhiberi, aliquo præſtito ſtipendio. Vnde ab Epiſcopis hæc irrationabilis conſuetudo admittenda non eſt, imo penitus reſcindenda. Ita Did. Couarr. *citato loco*. Vbi ſimiliter *num. 9.* tractat, an priuilegio Romani Pontificis poſſit laicis competere immunitas à ſolutione decimarum. Sed hoc ante diſcuſſimus.

Cæterum video eundem Couarruuiam vel ſibi non conſtare, vel obſcurius loqui quam intelligi poſſit. Siquidem *d. num.* 8. *verſ. Henricus tandem, cum verſ. eas certo certius*, putat decimas ex eo capite quo naturalis & diuini iuris ſunt, nempe, vt ſignificant & præmonſtrant (vt ipſe loquitur) miniſtrantium ſpiritualia cõgruam ſuſtentationem, eandemque neceſſariam, nulla conſuetudine tolli vel diminui poſſe. Quippe (inquit) ius naturale nec diuinum poteſt cõſuetudine vlla tolli nec etiã diminui. Eas vero decimas quæ iure humano tantum introductæ ſunt, hoc eſt, quæ extra alimenta ſunt clericorum, cenſet tolli poſſe conſuetudine quæ rationabilis eſt, & legitimè præſcripta, vt & alia quæ iure Pontificio inducta ſunt.

Quæ Couarr. ſententia poſterior apud me exploratiſſima eſt per textum *in c. vlt. extr. de conſuet. & §. penult. Inſt. de iure naturali, gent.* vt & alias cõprobaui. *ſupra cap. 3.* Sed quod ad prius attinet; rogo cur ſecus ſit in conſuetudine regionis ſiue Prouinciæ? Reſpondet, quia tollitur illa recognitio qua iuſtiſſimum & æquiſſimum eſt ſacer-

dotibus

dotibus exhiberi aliquod ſtipendium. Verum ſi hæc ratio vera eſſet, obtineret & in quauis conſuetudine loci.

9. Itaque, vt rem certo concludam, exiſtimo præſtationem decimarum quatenus extra exhibitionem clericorum ſunt, per contrariam conſuetudinem abrogari vel ei derogari poſſe, dum tamen hæc conſuetudo rationabilis ſit ac legitimè præſcripta, vt in omni conſuetudine contra ius ſcriptum requiritur *d. c. fi. extr. de conſuetud.* Nam qua ratione id priuilegio ſummi Pontificis vel præſcriptione fieri poteſt, eadem ratione & conſuetudine fieri poterit. Accedat quod paſſim in orbe Chriſtiano conſuetudine receptum ſit, vt ex certis fructibus nullæ ſoluantur decimæ, vel ſaltem aliqua portio; veluti de fœno, herbis, oleo, dummodo ex alijs reditibus ſuperſit iuſta ſacerdotum ſuſtentatio, vt ex Caſtrenſi & alijs refert idem Couarr. *d. n.* 8. *verſ.* 7. Quid ergo impedit, ne & in ceteris rebus eadem conſuetudo induci poſſit?

10. Hinc, vt opinor factum eſt, quod Hiſpaniarum Reges, præſertim Carolus V. publicis edictis vetuerint in Hiſpanijs decimas à laicis exigi, quæ ex conſuetudine ſolui non ſolent.

11. Idem apud Gallos cautum dicitur Philippi IV. conſtitutione, idemq; pluribus præiudicijs Pariſijs confirmatum, narrat & ipſe Couarr. *d. num.* 8. *verſ.* 9.

Sed quia permagni intereſt hanc rem habere per-

perspectam & probè cognitam, ideo lubet hic adferre sententiam D. Thomæ.

Hic igitur in 2. 2. quæst. 87. art. 1. cum hoc argumentum obiecisset. *Quod sine determinatione temporis debetur, nisi statim soluatur obligat ad peccatum: si ergo homines tempore gratiæ obligarentur ex necessitate præcepti ad decimas soluendas in terris in quibus decimæ non soluuntur: omnes essent in peccato mortali, ac per consequens etiam ministri Ecclesiæ, dissimulando: quod videtur inconueniens; non ergo homines tempore gratiæ ex necessitate tenentur ad solutionem decimarum* Cui argumento his verbis ibidem respondet diuus Thomas. *Ad quintum dicendum; quod ministri Ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promouendorum quam temporalium colligendorum. Et ideo Apostolus noluit vti potestate à Domino sibi tradita, vt scilicet, acciperet stipendia victus ab his quibus Euangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Christi; Nec tamen peccabant illi, qui ei non subueniebant: Alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesiæ, decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam; Nec tamen sunt in statu damnationis qui non soluunt in locis illis in quibus ecclesia non petit: nisi fortè propter obstinationem animi habentes voluntatem non soluendi, etiamsi ab eis peterentur.*

12.

Hæc

Hæc D. Thomas: cuius sententia apertissima est, præterquam quod vltima illa verba, *nisi fortè propter obstinationem*, &c. scrupulum nobis injiciant. *Videtur namque rem claram*, inquit ibidem Caietanus, *sub dubio dicere*. Sed quomodo eximit hunc ipse Caietanus? his verbis: *Ad hoc dicitur quod quia nolentes dare petentibus ministris decimas, possent allegare aut præscriptionem, aut Ecclesiæ Romanæ tacitam donationẽ, eo quod tam diuturno tempore sciuit & tolerauit, idcirco author sub dubitationis nota hæc dixit.* Sed hæc obscuriora videntur quam capi possint.

Puto tamen D. Thomam eo casu loqui quo decimæ stipendij loco peterentur in subsidium vitæ, populus vero obstinato animo eas detrectaret. Nam peccaret contra illud Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Idque verisimile videtur propter exemplum Apostoli à se allatum. Vide latius *Nauarrum in Manuali cap. 21. num. 30. & Gregorium de Valentia commentar. Theolog. tom. 3. disput. 6. quæst. 5. punct. 2.*

14. Iam de præscriptione videamus, an & quatenus immunitas à non præstandis decimis per eam adquiratur? Et quidem Petrus Rebuffus *in tractatu de decimis, quæst. 13. num. 55.* hanc generalem regulam tradit: quod nullus siue clericus siue laicus sit, libertatem nullas soluendi decimas præscribere possit, etiamsi viueret per mille annos. Huius regulæ auctores citat *Dominicum in c. 2. col. vlt. de præbend. in 6. & Barbatium consl. 35. sapienter col. 6.*

col.6.in 2.volumi. & conſequenter omnes alij qui decimarum præſtationem diuini iuris eſſe aſſerunt, de quibus *cap.3.ſupra.* ex ratione textus *in c.fi. extr. de præſcriptio.* Quæ regula his argumentis fulciri videtur. Primum eſt: quod Deus ſibi reſeruauerit decimas in ſignum vniuerſalis dominij. *c. tua nobis.26. & c. cum non ſit.33.extra. de decimis.* Ergo præſcriptione tolli non poſſunt *arg text.in l. competit C.de præſcript.30.vel 40. annorum*, vbi & in ſpecie tradit Salycetus nu.2. Secundum, ſi tardius quam conuenit ſoluere decimas peccatum eſt *ca. decimæ 16.q 1.* multo magis peccatum erit ſi nihil ſoluatur. Quippe tãto ſunt grauiora peccata quãto diutius infęlicem animam detinẽt alligatam; verba ſunt *d.c.vlt.extra.de conſuetud.* Tertium argumentum eſt, quod decimæ dicantur tributa egentium animarum *d.c.decimæ & d capit tua nobis.* Vnde conſequens videtur, eas præſcribi non poſſe, cum ſubtrahere alimenta idem ſit quod occidere. *l.necare.ff.de liber. agnoſ.* Quartum eſt: Is qui eſt in mala fide præſcribere non poteſt. *c.fin. extra.de præſcript. & c. poſſeſſor, de regul. iuris.in 6.* At ille qui immunitatem à præſtandis decimis præſcribere nititur, in mala fide eſt, ſaltem præſumptione iuris; cum contra ius agat. *c. qui contra. eod.tit. de regul. iur.in l. quemadmodum.C.de agricol.& cenſit.* Quintum. Is qui non poſſidet aut quaſi, non poteſt præſcribere, cum nulla poſſeſſione munitus ſit. *c. ſine poſſeßione d. tit. de*

regulis iuris. At laicus ius decimandi non possidet. *c.causam,7.extra. de præscriptionib.* Vbi hoc argumento vtitur summus Pontifex: *Quia cum laici decimas detinere nõ possunt, eas nulla valent præscribere ratione.*

26. At his argumentis non obstantibus, rectius alij existimant, immunitatem siue libertatem à præstandis decimis tempore immemoriali præscribi, etiam per laicum; Siquidem hæc immunitas non consistit in percipiendis decimis ex alienis prædijs, in quo versatur ius decimandi, quod spirituale est, sed vt habeat quis integros fructus absque onere decimarum, quod nec spirituale est, nec quasi spirituale, ac subsequenter nec eius incapaces sunt laici. Couarr. *variar. resolut.lib.*1.*cap.*17.*num.*10. vbi ita inquit: *Quippe, quod etsi sciam, laicos incapaces esse quasi possessionis iuris percipiendi decimas ex alienis fundis quæ ecclesijs debentur : non video alicubi probari eos incapaces esse ad quasi posidendam exemptionem istam à solutione decimarum; cum nec istud ius sit spirituale nec quasi spirituale. non enim est ius percipiendi eas decimas quæ sacerdotibus ministrantibus spiritualia debentur; nec easdem decimas verè debitas retinendi, sed ius percipiendi ex agris proprijs fructus integros absque detractione decimarum : quod quidem ius esse spirituale vel quasi, eiusque incapaces esse laicos, mihi nondum ex iuris Pontificij sanctionibus constat.* Hæc Couarruuias. Vt hinc omnino separandum

randum sit ius decimandi quod clericis competit, à iure retinendi fructus suos integros; quod se habet instar libertatis à seruitute quæ alteri ante debebatur. Nam licet prædio tuo seruitutem per prædium meum debeam; libertatem tamen ab ea seruitute recte præscribo per constitutum à iure tempus. *l. pen. & vlt. Cod. de seruit. & aqua & l. fi. Cod. de præscript. long. temp.* Huic sententiæ adstipulantur *Gregorius de Valentia comment. Theolog. tom. 3 disput. 6. quæst. 5. puncto 2. in fi. Fernandus Vasquius illust. controuers. lib. 2. cap. 89. numer. 10. & Martinus Nauarr. cons. 2. num. 5. de decim.* huius verba hîc libet adscribere: Quoniã, inquit, *quicquid dicant plurimi, qui in hoc possunt allegari, & parum de iure, quo decimæ debentur, nouerunt: veritas est quod etiam laici possunt vsucapere vel præscribere libertatem ab obligatione soluẽdi decimas, quoad quotam, & ab obligatione soluendi de illo vel illo prædio, dummodo parochus seu rector habeat ex alijs ecclesiæ iuribus congruam sustentationem.* Ita Nauarrus. Ceterum quod ait, *de illo vel illo prædio* idem omnino censendum est etsi plura sint prœdia. Nam cur magis in illo vel illo prædio, quam in alijs siue pluribus, nulla diuersitatis ratio subest.

Quibus accedat ratio Rebuffi *dict. quæstio. 13. numero* 57. Nam dum is aperte scribit, quotam decimæ præscribi posse etiam per laicum vt tantummodo soluat duodecimam, vigesimam vel aliam partem, quia ad hoc, inquit, non est incapax: Quis

non videt inde recte effici, quod & integra immunitas à præstandis decimis præscriptione adquiri possit; cum eiusdem naturæ sit pars cum suo toto. *l quæ de tota ff. de rei vind.* Eo tamen semper retento, quod parochus siue rector ecclesiæ habeat aliunde sustentationem, prout dictum est ante.

7. Quare non obstant argumenta supra in contrarium adducta. Nam quod attinet ad primum quo diximus Deum sibi reseruasse decimas in signum vniuersalis dominij. Respondetur: Summos Pontifices citatis locis respexisse ad præceptū veteris Testamenti, quo iubebantur decimæ reddi Deo. *Leuitici vlt. cap. in fin.* vbi his verbis: *Omnes decimæ terræ siue de frugibus siue de pomis arborum Domini sunt & illi sanctificantur.* Similia alibi extant, vt videre est supra cap. 3. Non quod præceptis veteris Testammenti alligentur Pontifices, sed vt eo magis constitutiones suas de decimis imitatione veteris legis confirment, Vt enim illæ decimæ prospectu diuini cultus pro Leuitis introductæ fuerunt; ita non minus decuit, easdem decimas repeti & institui in Ecclesia Christiana pro clericis, ratione diuini ministerij.

Secundum argumentum, ideo non obstat, quod præsupponat peccatum in tardius soluente decimas. Quare non procedit argumentum eo casu vbi peccatum non vertitur; vt in ijs qui priuilegio summi Pontificis vel cōsuetudine vel alia per-

permissione iuris à soluendis decimis immunes sunt.

Tertium, Quartum & Quintum, argumenta, supra cap.9. discussimus quæ idcirco hic non repetimus.

Quod vero transactione tolli vel saltem imminui possit præstatio decimarum, probat textus. *in c.2. & c. veniens.6. extra. de transactio. & in c. ex multiplici.4. extra. de decimis.* Idque non tantum, vbi clerici inter se transigunt, sed & si cum laico facta sit transactio. *d.c.2. & ibi Bernardus in fine glossæ. ibid. &* Hostiensis. *& facit textus in c.2. extra. de his quæ fiunt à Prælat.* dummodo auctoritas Episcopi vel summi Pontificis transactioni accesserit; alioqui transactio perpetua non est, sed personalis, hoc est, personam clerici transigentis non excedit *dictis iuribus.* Nam cum in alienatione rei ecclesiasticæ, qualis est & transactio. *l. non solum. 4. C. de prædijs & alijs rebus.* requiratur consensus & subscriptio Capituli si ecclesia est Cathedralis. *c. sine exceptione.* 12. *q.*2. sin inferior ecclesia, Episcopi assensus. *c. placuit ead. q.*2. necesse est, & in transactione perpetua, eius auctoritas interueniat. *d. c.2. & d. c. 1. veniens.* Sed in Monasterijs quę Conuentum habent hoc amplius est, vt transactio etiam temporalis de decimis iniri non possit, nisi & consensus, saltem tacitus ipsius Conuentus accedat. *c. continebatur 2. extr. de his quæ fiunt à Prælat. & c.2. de rebus ecclesiæ non alienand. in Clemens.*

Idem communiter obtinet & in alijs Prælatis, vt non minus hi in transigẽdo Capituli sui consensum adhibere teneantur. *c. 3. & ibi Panor. nu. 3. eod. tit. de transact.* Licet enim Prælatus à iure generalem administrationem habeat in rebus ecclesiæ suæ. *c. 2. de ext. de donat.* non tamen ea continetur transactio, quæ quædam alienatio est. *l. mandato generali sexto. ff. de procurator. iuncta. dicta l. non solum.*

Vbi tamen meminisse oportet, quod transactio in decimis ita demum procedit, si in vicem compensationis nulla res temporalis interuenit veluti, si simpliciter agri certi vtrinque assignentur. *d. c. 2. extra. de transact.* vel ne decimæ ex quibusdam agris præstentur. *c. 3. extra. de decimis.* Nam vt pecunia, aut alia res pretio æstimabilis trãsactionis nomine detur, iure improbatum est. *c. fin. extr. de rerum permutatione.*

19. Postremus modus est exemptionis à decimis, si remittantur à clerico cui debentur, vel ratione paupertatis vel scandali vitandi causa, exemplo diui Pauli *Actorum 20. circa finem, & 2. ad Corinth. 11. vt & ante meminimus hoc eod. cap. ex D. Thoma.*

* * *

CAPVT

Caput XVIII.

De Iudicio decimarum.

Summaria.

1. *In decimis ab executione proceditur.*
2. *Cuiusque rei iudicium possessoriũ & petitorium.*
3. *Vt & decimarum.*
4. *Possessorium iudicium triplex.*
5. *Possessorium adipiscẽdæ iudicium decimarum, tam in Parocho quam in alijs.*
6. *De possessorio retinendæ & recuperandæ & 7.*
8. *De petitorio iudicio,*
9. *Actio de decimis in hoc iudicio.*
10. *Vtriusque iudicij accumulatio.*
11. *Iudicium de decimis summarium.*
12. *De iudice decimarum quo ad possessorium & petitorium, itẽ & de alijs rebus spiritualib. & n.13.*
14. *Panormitani distinctio.*
15. *In decimis ex priuilegio concessis quis iudex.*
16. *Item quis in locatis decimis iudex.*
17. *Item quis in venditis decimarum fructibus.*

POstremo hoc capite tractandum est de iudicio decimarum, quod, quale, & coram quo iudice instituendum sit. Illud initio præmittentes, quod contra debitores decimarum nullo iudicio opus sit, vbi res in confesso est, hoc est, debitor decimas se debere non negat, nec tergiuersandi 1.

causam habet. Nam contra eos ab executione, siue præcepto iudicis ecclesiastici proceditur per censuram Ecclesiasticam, *vt est textus in c peruenit.5.cum c.seq. & c. ex parte 21. cum c.seq. extr. de decimis, & c.2. de iudicijs in Clement.* remota etiam appellatione *c.3. & c. tua nobis.26. in fin. extra. de decimis*; eo quod constituti iuris regula sit; omnes ad decimarum functionem obligari: *Sicut supra cap.4. comprobauimus.* Sed quia fortasse è contra reus exceptionem consuetudinis, aut præscriptionis aut aliam, *de quibus supra proximo cap. dictum est*, obijcit; atque idcirco necessario ad iudicium decurratur, dispiciendum nobis hic est breuiter, quid tunc facto opus sit in constituendo & persequendo hoc iudicio.

2. Vt igitur in qualibet re de qua contenditur, solet duplex iudicium institui; Vnum ratione possessionis, alterum ratione proprietatis. *l. ordinarij. 13. C. de rei vindicat. c. vlt. extr. de iudicijs. c.1. & passim toto tit. extra. de causa possess. & proprietat.* Vnde illud possessorium iudicium dicitur, alterum petitorium:

3. Ita & in decimis prædialibus idem vsu venit, vt vel ratione possessionis moueatur quæstio, vel ratione proprietatis, id est, iuris quo quis contendit ad se decimas pertinere.

4. Hoc autem possessorium iudicium tribus ex caussis intentatur, aut vt adipiscamur possessionem, aut semel adeptam retineamus, aut amissam recupe-

recuperémus. §. *sequens. Instit. de interdictis. & l. 2. §. hæc autem interdicta ff. de interdictis. arg. l. quoties. 20. ff. de seruitutib. & l. fin ff. vti possidetis.* Quare primum adipiscendæ possessionis appellatur, alterum retinendę, tertium recuperãdę: Intelligendo per possessionem hîc & quasi possessionem, quæ est rerum incorporalium. Nam quamuis rerum incorporalium nulla proprie sit possessio (vt & alias monuimus) tamen vsurpantum est, vt & harum rerum simpliciter possessio dicatur. *c. olim. 17. extra. de restit. spol. l. 1. in fi. in verbo possidet. C. de seruit. & aqua cap. ad aures. 6. extr. de præscript.*

Itaq; quoad decimas, possessorium adipiscendæ iudicium tunc intenditur, quando quis decimarum possessionem quam ante non habuit, sibi adquirere contendit; quod facile est in Parocho loci, cui ideo statim addicitur possessio decimarum non audito etiam iure alterius; Vtpote quod iure communi ad eum, non ad alium pertineant decimæ, id est ius decimandi. *c. 2. de restitut. spoliator. in 6. & latius dixi sup. cap. 8.* Ideoque Parochus loci ad decimarum possessionem consequendam in suo libello complectetur, quod eius loci in quo colliguntur fructus, sit parochus, & idcirco petat sibi adiudicari possessionem decimarum. *Rebuffus de decimis. q. 9. in pr.* Quod non est in alijs clericis siue laicis qui possessionem decimarum non ante adquirunt, quam legitimum titulum probauerint; veluti in clerico, quod deci-

mandi ius habeat ex priuilegio, præscriptione vel simili titulo: *de quo latius supra c.9. & 10.* Item in laico quod is vel priuilegio S. Pontificis ius decimandi assecutus sit, vel maiores sui ante Concilium Lateranense decimas in feudum recceperint, & sic in se deuolutæ sint. Nec enim latius vllum alium titulum possessionis adipiscendæ obtendere potest. *vide c.13. supra.*

6. In possessorio retinendę narrat parochus loci vel alius clericus qui decimas possidet, se esse in possessione iuris percipiendi decimas, ac proinde se rogare, vt contra turbantem possessionem suam, vel recusantem decimas soluere iudex se tueatur & manu teneat. *Rebuffus d. quæst. 9. num. 3. & 4. Menochius de retinenda possessione. remedio 3. num. 134.*

7. In possessione vero recuperandæ possessionis, concludit is qui spoliatus est possessione decimandi, vt in possessionem pristinam, quam habuit restituatur. *d. c. 2. de restit. spol. in 6.* Eo semper obseruato, quod parochus loci siue cōtra clericū siue contra laicum agat ratione possessionis, statim sine mora admittendus sit, reiecto iure alterius in onus probationis.

8. Quod ad petitorium iudicium attinet; quod diximus versari circa proprietatem rei, eo tunc experimur, quando petimus per iudicem declarari, nos dominos esse huius vel alterius rei controuersæ, si ea corporalis sit; sin incorporalis, ius

nobis

nobis competere, veluti in proposito argumento decimandi ius ad se pertinere, formabitq; libellũ suum actor, si parochus est, hoc vel simili modo: Cum parochus sim talis loci N. peto per iudicem sententia sua declarari & adiudicari mihi decimas eiusdem loci, suumq; aduersarium condemnari ad soluendas præteritas decimas & continuandam earum solutionem in posterum. Et hæc quando contra possessores prædiorum agitur: Sin contra alium qui est tantum in possessione iuris decimandi, petet parochus declarari sibi competere ius decimandi & alteri silentium imponi. Sed qua actione? condictione ex canone, quo ius deciman di inductum est, vt *tot. tit. decretal. de decim. alijsque locis citatis à nobis sup. c.* 1. Cum enim nulla actio pro decimis à iure Canonico prodita sit, recurrendum est ad condictionem ex canone, instar condictionis ex lege. *l. vnica. ff. de condic. ex lege.* Quamuis necesse non sit hanc condictionem ex canone, hoc iure canonico exprimi, sed sufficiat factum perspicue proponi in iudicio. *cap. dilectus, 6. extra. de iudiciis.*

9.

Vbi vero alia persona ecclesiastica prætendit ius decimandi, vel ex priuilegio vel ex consuetudi ne vel ex præscriptione siue alio titulo legitimo: necesse est prius, ius suum in iudicium deducat, & deinde petat declarari ad se spectare ius decimandi suumq; aduersarium condemnari, vt à perceptione decimarum desistat, siue is parochus loci sit, siue alius clericus.

Potest

10. Potest & vtrumque iudicium tam possessorium quam petitorium in eodem libello siue narratione, cumulari & proponi, prout visum fuerit actori. *per text. in cap. 2. c. 3. & passim, extra. de causa possessionis.* Sed caueat clericus aut alius quispiam, ne possessorium iudicium intendat contra parochum loci; eo quod parochus fundatam intentionem suam habeat ex iure communi contra quemlibet, vt & antea monuimus.

11. Est autem iudicium de decimis summarium, hoc est, in quo simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicij proceditur. *cap. 2. de iudic. in Clement.* sola hac solennitate adhibita, vt sententia definitiua in scriptis feratur, *c. sæpe. de verb. sign. eod. lib. Clement.* Si tamen iudicij solennitates omnes vel pro parte interuenerint, partibus non contradicentibus, non idcirco infirmabitur processus iudicij. *d. c. sæpe. in fine.*

12. Sed consequenter hic videamus de iudice decimarum, in qua nonnulla contentio est inter Doctores: Inter omnes quidem conuenit, si de decimis petitorio iudicio agatur, adiri oportere iudicem ecclesiasticum, vt in reliquis causis ecclesiasticis, præsertim spiritualibus. *capit. 2. extra. de iudicijs.*

At decimandi ius spirituale est. vt probat text. *in c. fin. extra. de rerum permut. & c. tua. 25. in princ. extr. de decimis.*

Tota vero controuersia est, quo ad possessorium

rium de decimis iudicium coram quo iudice exercendum sit.

De qua re discrepantes Doctorum sententias vide apud Panormitanum *in ca.2.n.6. extra de iuram.calumniæ.& Didac.Couarruu.practi.quæstion. c.35.* qui generaliter disputant de possessione rei spiritualis, an ea temporalis sit; & consequenter ad notionem iudicis secularis pertineat. In specie vero de possessione decimarum disputat Petrus Rebuffus *de decimis, quæst.10. & Azorius Institut. moralium.lib.7.c.25.* Sed breuiter nos totam rem complectamur.

13. Igitur primo omnium à nobis constituendũ est possessionem rei plane separatam esse ab eius proprietate. *per text.in l naturaliter. 12. §.1.ff. de acq. possess.* vbi his verbis textus, *Nihil commune habet proprietas cum possessione, & ideo non denegatur ei interdictum vti posideris, qui cœpit rem vindicare.* Idem probat textus *in c.pastoralis. 5.extra. de causa possessionis & proprietatis.* Vnde cum prorsus sit diuersa ratio possessionis à proprietate, non idem igitur iudicium semper in vtraque spectandum est, etiam quod attinet ad spiritualia. Vt ecce, in matrimonio recte cognoscit iudex sæcularis si illud adulterio violatum sit. Item recte restituit coniugem si is ab altero discesserit. Item compellit coniuges ad præstanda mutua obsequia. Quia hæc in facto consistunt & possessionem magis matrimonialem quam ius siue proprietatem matrimo-

trimonij concernunt. At si matrimonium negetur, aut obtendatur illegitime contractum esse, huius rei cognitio, cum proprietatis causam contineat, non ad iudicem sæcularem, sed ad ecclesiasticum deferenda est, quamuis & de possessionis causa etiam possit adiri iudex ecclesiasticus. Videmus enim pro obseruatione iuramenti iudicem sæcularem recte adiri, etiamsi iuramentum spirituale sit, vt est text. *in c. 2. de iureiur. in 6.* quia & hæc res possessionem magis respicit quam proprietatem, licet & coram iudice ecclesiastico de ea agi possit. *c. vlt. de foro competen. eod. libro.* & tamen vbi in iuramento proprietatis causa vertitur; puta, an legitimum sit iuramentum, an illegitimum, obligatorium vel non obligatorium, solius iudicis ecclesiastici cognitio est. *cap. nouit 13. circa fin. extra. de iudic.*

Quare idem est & in decimis, vt si parochus loci agat interdicto adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ possessionis contra laicum; recte adit & iudicem sæcularem: sin neget laicus se iure debere decimas propter consuetudinem loci, aut præscriptionem vel alia ex causa, huius cognitio ad iudicem ecclesiasticum referenda est, quod hac scilicet, specie de iure proprietatis agatur, per ea quæ tradunt *Panormitan. in dicto cap. 2 num. 8. Bartolus in l. Titia. 19. ff. solut. matrim. & Didacus Couarruuias dict. cap. 35. in secunda conclusione.*

Quam-

Quamuis ipse Couar. ibidem ab hac sententia dissentiat ex illa, vt existimat, iuris Pontificij regula: quæ dictat, causas ecclesiasticas tractandas & examinandas esse apud iudices ecclesiasticos. *c.2. extr. de iudicijs.* Constat vero, addit, causam possessoriam etiam simplicem, indistincte dici ecclesiasticam. *c. vnic. de caus. poss. & propriet. in Clem. & in c. vnic. de sequestr. poss. & fructu. in Clement.*

Quæ tamen iura iudicio meo non probant dictam iuris Pontificij regulam. Sed propius ad eius confirmationem accedere videtur. *c. causam. 7. extr. de præsc.* vbi negat textus decimas detineri posse à laico, non alia ratione, quam quod ius decimandi spirituale sit: Ergo & detentio siue possessio earum spiritualis videtur. Interim idem ipse Couarru. *d.c.35. n.2.* prædictę iuris Pontificij regulæ, vt ipse vocat, non ita plane insistit, quin censet posse iudicem sæcularem compellere laicum recusantem decimarum solutionem, cum tantum agatur, *inquit*, an decimæ sint solutæ, vel teneatur ille soluere vel alius, non autem de iure decimarum, nec de exemptione aut priuilegio. Ecce Didacus Couarruuias re ipsa incidit in priorem sententiam.

14. Quæ vt explicatior sit, subijciam hic distinctionem Panorm. *in d.c.2. extra. de iuramento calumniæ.* vbi cum generaliter de possessione rei spiritualis disputationem instituisset, variasq; Doctorum sententias recitasset, tandem distinctione quadã

ita

ita diſſentientes inter ſe conciliat. Aut enim quæritur, *inquit*, de re merè ſpirituali, aut quaſi ſpirituali, aut de re merè temporali. De re merè ſpirituali, quando de re ſpirituali diſceptatio eſt: veluti, an matrimonium vel collatio beneficij eccleſiaſtici valeat; vel an quis iure teneatur ad ſoluendas decimas & ſimilia, quæ ad iudicem ſecularem non pertinent, ne quidem incidenter. *c. tuam. extra. de ordin. cognit. c. lator. extr. qui filij ſint legitimi, cum ſimilibus præcipue textus eſt in c. 2. extra. de iudicijs.* De quaſi ſpirituali, quando agitur poſſeſſorio, habente cauſam proprietatis annexam, vtpote quod in eo aliqua probatio proprietatis requiratur, vt in iure patronatus. *c. 3. extra. de iudicijs.* vel ſi agatur ad reſtitutionem coniugis quæ poſt ſponſalia contracta cognita fuit. *c. ex tranſmiſſa* 8. *c. ex parte* 14 *extr. de reſtitut: ſpolia*: His duobus & ſimilibus caſibus, iudex eccleſiaſticus neceſſario aditur; quod matrimonij ius etiam in quæſtionem veniat. De merè temporali contenditur, quando res nihil ſpirituale in ſe continet neque annexum habet: ueluti cum de eo quod merè facti eſt quæritur. Exempli gra. ſi clericus agat contra laicum retinendæ poſſeſſionis ſuæ eccleſiæ, nam hoc caſu rectè recurrit clericus ad iudicem ſecularem vt is laicum cohibeat à turbatione eccleſiæ. Et ſic in cæteris, vbi facti non iuris, quæſtio vertitur.

12.

13. Non obſtat textus in *d. c. cauſam. extr. de præſcriptio*: Tametſi enim res ſpiritualis poſſideri nō poſſit

possit à laico, non tamen ideo consequens est, possessionem rei spiritualis esse spiritualem; siquidem possessionem decimarum ex effectu suo metimur, qui est, vt aliquod commodum ex ea capiatur; quod cum in laicum regulariter non cadit, idcirco recte dicimus laicum decimas possidere non posse, licet alioquin possessio per se spectata, non sit spiritualis. Sicut è diuerso videmus in iure patronatus, quod etsi per laicum possideri possit, non tamen ideo mere temporale est, cum eius cognitio ad iudicem ecclesiasticum pertineat. *c.3. extra de iudic.* Itaque vt rem summatim complectar, quod attinet ad præsens argumentum de iudice decimarum; Si de sola earum possessione siue adquirenda, siue retinenda, siue recuperanda agatur contra laicum; non minus laicus iudex quam ecclesiasticus aditur; cum hæc res sit vtriusque fori. arg. ca. 2. de iureiur. in 6. & c. fin. de foro compet. eod. lib. Sin de ipso iure decimandi, ad solum ecclesiasticum iudicem causa refertur. *d.c.2. ext. de iudic.* Dixi, *contra laicum.* Nam si contra clericum, semper & in quauis causa cognoscit tantummodo iudex ecclesiasticus. *c. si diligenti, 12. extr. de foro compet. & authent. statuimus. C. de Episcopis & clericis.*

15. Illud quæsitum fuit, an si ex priuilegio S. Pontificis ius decimandi laico concessum sit, vter iudex, laicus vel ecclesiasticus adiri debeat? Et magis est, quod iudex laicus ex sententia Petri Rebuffi de decim. *q. 10. n. 39. & Cou pract. quæst. c. 35.*

n.2.verſ.3. Et ratio eſt, quia cenſetur in dubio eiuſmodi ius decimandi naturam ſpiritualitatis authoritate Eccleſiæ ſiue S. Pontificis, exuiſſe, à quo hoc ius decimandi tanquam ſpirituale introductum fuit.

16. Idem eſt & in conductore decimarum, vt hic quoq; ratione mercedis recte conueniatur coram iudice ſeculari. *Couar.d.n.2.verſ.quintus.* Quia hoc in caſu non de iure decimandi agitur cuius ne quidem poſſeſſio in conductorem tranſijt. *l.2.C.de præſcript.*30. *vel* 40. *annor. l quamuis.*32.*§.1.ff. de adquirend. vel amit poſſeſ. & l.officium.*9.*ff.de rei vindicat.* ſed tantummodo actione locati, propter commoditatem fructuum à conductore perceptorum. *c.2.extra. de locato & conducto.*

17. Idem ſeruandum eſt in venditis fructibus decimarum, vt & in his laicus iudex adeatur, ſi emptor laicus ſit: ob eandem rationem. Atque hæc hactenus de decimis. Nunc de primitijs & oblationibus, quæ & inſcriptione eiuſdem tit. Decretalium de decimis, continentur, breuiter diſpiciamus, vt ita tractatus noſter plenior ſit & perfectior.

Capvt XIX.

De Primitijs & Oblationibus.

Summaria.

1. *Primitiæ quid, & in quem vſum instituta, & quo iure.*

2. *An*

3. *An iuris diuini vel naturalis sint, & n.3.*
4. *Vt primitiæ iuris naturalis sunt, cum explicatione l.si etsi.28.§.consuluit ff.de petit.hæred.*
5. *Religio erga Deum, vt naturalis iuris est.*
6. *De quantitate primitiarum.*
7. *De oblationibus in genere & specie.n.8.*
9. *De præcepto veteris testamenti de oblationibus, quod à Gregorio repetitum est, an liget.*
10. *De differentia primitiarum, oblationum & decimarum.*

PRimitiæ sunt, prima frugum obuentio siue eius pars Domino offerenda in vsum sacerdotum. c.1.extra.de decimis, quæ & in veteri Testamento non minus quam decimæ soluebantur. Exodi 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* & eodem libro capite 23. *primitias frugum terræ tuæ deferes in Domum Domini Dei tui.* Et Malachiæ tertio capite, conqueritur Deus de Iudæis de non solutis decimis & primitijs: Institutæ vero erant, vt populus primitias offerendo gratias ageret de beneficijs à Deo receptis. *D. Thomas in 2.2. quæst. 86. artic. 4. in respons.* Has & sacri Canones postea probarunt, & secuti sunt *in c. moderamine. in c. doctos. & in c. reuertimini. 16. quæstione* 1. Gregorius VII. in Concilio Lateranensi: *Oportet autem congruentius*, inquit, *nos decimas & primitias, quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere.* Refert Gratianus *in c.1.16. quæst.7.* Quo fit, vt primitiæ in ecclesia-

1.

clesiarum bonis numerentur, c. *causa.13. extra de verbor. significat.*

2\. Sed quæstionis est, an primitiæ iuris diuini sint? De iure veteris Testamenti non ambigitur, vt probant supradicta loca. Neque obstat alius locus Exodi 25. cap. *Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias, ab omni homine qui offert vltroneus, accipietis eas.* quasi primitiæ non præcepti sed arbitrariæ fuerint. Sed respondetur, primitiarum nomine ibi accipi ea quæ populus offerebat ad tabernaculi fabricam & ornatum. *Azorius Instit. moralium. lib.7.c.27.* Vtcunque id sit, certum est hoc præceptum veteris Testamenti, vt & cetera præcepta, per Christi mortem abolitum esse. Vt probauimus supra *c.3. de decimis.*

3\. Nihilominus putat Rebuffus *in tractatu de decimis, quæst.1.num.21. cum num. seq.* primitias adhuc hodie esse diuini iuris, seu potius, vt mentem eius interpretor, iuris naturalis, quia illæ in compensationem siue indicium præstantur beneficiorum à Deo receptorum. At naturale ius dictat se gratum præbere oportere ei à quo beneficium acceperis. Quod & existimat Dominicus Soto *lib 9. de iustitia. quæst.3. art.4.* Diuus Thomas vero *2.2. q.86. art.4. vt eum allegat & sequitur Azorius d.c.27. verf. quinto quæritur,* primitias partim naturalis iuris esse vult, partim iuris Canonici. *Quemadmodum enim,* ait, *decima iure naturali debetur & soluitur, quandocunque necessaria est ad commodum parochi victum, vel ad profitendum supremum*

premum Dei in res omnes dominatum & imperium: Secus vero, non naturali, sed Pontificio iure debetur, (vt & supra d. c.3. explicauimus.) *Sic etiam primitiæ quatenus sunt ad vsum sacrum & honorem, ad cultum diuinum naturali iure soluuntur: Secus vero iure tantum Pontificio.* Hæc Azorius dict. cap. 27. Idem Gregorius de Valentia commentar. Theolog. tomo 3. disputatione 6. q. 6. puncto 4. in fine Sed paulo aliter, cuius hæc verba sunt. *Primitiæ non ex aliquo naturali aut diuino præcepto, hoc quidem tempore offerri debent (cum his præceptis satisfiat sustentando quocunque modo sufficienter ministros, & offerendo qualescunque alias res externas in honorem Dei) sed ex decreto ecclesiæ, iuxta receptam locorum consuetudinem & necessitatem ministrorum Ecclesiæ.* Citat ibidem & Syluestrum *verb. Decimæ. num. 3.* vbi refert eum, asserentem posse tolli obligationem soluendi primitias per contrariam consuetudinem, eo modo quo potest alicubi tolli per contrariam consuetudinem obligatio soluendi decimas.

Quæ etsi vera concedamus: non tamen tollunt rationem illam, qua primitiæ institutæ dicuntur; videlicet vt primitias offerendo Deo gratiæ reddantur, quod iuri naturali conuenire videtur, vt supra dictum est. Nam & hinc voluit Petrus Rebuffus in dict. tract. de decimis. num. 21. & seq. non valere consuetudinem, vt nihil pro primitijs offeratur Deo: cum iuris naturalis præcepta diuina quadam prouidentia constituta

sint, adeoque immutabilia permanent, *vt loquitur Iustin. in §. penult. Inst. de iure naturali.*

4. Sed huic facile occurritur, quod ratio primitiarum ad præcepta iuris naturalis referri non possit, sed ad solum instinctum naturalem quo solemus propendere in benefactores nostros, non per speciem obligationis, sed liberæ remunerationis. Quod satis liquet ex Vlpiani responso. *in l. sed et si lege. 28. §. consuluit. ff. de petitione hæreditatis.* quo liberalitas nullam obligationem & actionem inducit contra eum qui liberalitatem expertus est: alioqui ea in petitionem hæreditatis veniret. *l. naturaliter. 9. & passim legib. seqq. ff. eod. tit.* Ergo primitiæ vere iuris naturalis non sunt.

5. Scio quidem religionem erga Deum, esse iuris naturalis *ex l. 2. ff. de instit. & iure.* sed id in genere verum est, vt aliquo saltem religionis cultu Deum agnoscamus; at in specie vt hoc vel alio certo modo diuinus cultus Deo exhibeatur, ad ius naturale non pertinet, sed id fit vel ex ordinatione Ecclesię, vel pro cuiusq; nationis lege, siue moribus, siue arbitratu.

6. Qua autem quantitate primitię soluendę sint, non ex veteri lege constat nec ecclesiastica: nisi quod in veteri lege ex traditione Magistrorum inoluerat ad coercendam auaritiam istorum sacerdotum, vt illi qui quadragesimam partem soluerent, maximam dicebantur præstare, qui sexagesimam, minimam partem: cæteræ portiones intermediæ offerentium arbitrio relictæ erant.

cap.

cap.1.extra. de decimis. In lege ecclesiastica nequidem vlla talis ratio est; sed hodie consuetudinem loci sequimur, vt notat in *dict.cap.*1.Innocentius. At putat Azorius *dict.cap.*27.vsu & consuetudine primitias magna ex parte sublatas esse, & legem de illis soluendis fere vbique antiquatam; & vbi huiusmodi lex erat, minime primitias solui; nisi petantur à clericis.

7. Iam quod ad oblationes attinet, *Eas dicimus*, inquit textus *in c.causa.13.inf. de verborum significat. quæcunque de propriis & licitis rebus ecclesiæ à fidelibus offeruntur.* siue id fiat in vltima voluntate, siue inter viuos tam de rebus immobilibus, quam mobilibus, *per textum in cap.cum inter.24.inf.d.tit. de verbor.significat. c.Statuimus.6.16.quæst.1. & ca. qui oblationes.cum 2.seqq.13. q.2. Panormitanus in d. c.causa.*

8. Sicut igitur quando aliquid homini donatur, dicitur donatio: ita quando DEO siue Ecclesiæ, oblatio à iure nominatur. Consuetudine tamen specialiter obtentum est, vt ea quæ sub Missæ sacrificio offeruntur, solo oblationis nomine contineantur. quorum meminit textus *in cap.omnis Christianus. de consecrat.dist.1.in c.duo. in fine.12.qu.1.in* c.qui sacerdos, cum c.fin. 10. quæst.1. videnturque hæ speciales oblationes inductæ ad imitationem veteris Testamenti. Cum enim Exodi 23.cap.dictum esset: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Gregorius VII. in synodo Romana id traduxit ad Missarum oblationes in d. cap.omnis

Christianus,ita inquiens. *Omnis Christianus procu-ret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & du-cere ad memoriam quod Deus per Moisen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

9\. Vnde hic incidit quæstio, an ad huiusmodi oblationes missales ex præcepto obligemur? Et magis est,quod non; eo quod præceptum sit veteris Testamenti ceremoniale, quod vtique per mortem Christi sublatum est, *vt supra latius probauimus c.3. & facit.c.vnicum. extra.de purificatione post partum.* Neque mouere nos debet quod à Gregorio VII. vt ante dictum est, rursus repetitum & renouatum fuerit apud Christianos: quia id vsu populi receptum non est, vt necesse est,in qualibet constitutione, quæ ante non ligat,quam moribus vtentium approbata sit. *ca.in istis. §.leges. cum c.seq. distinct.4.* vel saltem in dissuetudinem abijt. Quare d.cap. omnis Christianus,eatenus seruandum est,quatenus dictat consuetudo loci offerendum esse sub Missa; ita quod hæc consuetudo obligandi animo introducta fuerit: quod inde colligitur, vbi hæ oblationes in clericorum necessariam sustentationem aut in fabricam siue alium vsum pium conferuntur. Alioqui si per modum liberæ deuotionis hæ oblationes fiant, consuetudo loci neminem obstringit, vt eleganter explicat *Dominicus Soto, quem omnino vide, de iustitia & iure, libro nono, quæstione tertia, artic.1. vers. Dubium autem deinde. & Azorium lib. 7. Inst. Moralium, c.7.q.11.*

Porro

Porro has oblationes à decimis & primitijs ita distinguimus: quod oblationes immediatè fiant Deo diuini cultus causa, licet postea in sacerdotũ vel alium pium vsum cedant. Decimæ vero similiter quidem Deo persoluantur, sed prospectu dominij supremi, quod sibi Deus in omnes res reseruauit, tametsi & hæ in vsum quoque clericorum conuertantur. Et primitiæ præstantur testandi grati animi causa propter primos terræ fructus feliciter enatos ex benignitate DEI.

Finis in titulum Decretalium, de Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

INDEX RERVM IN TIT. DE DECIMIS.

A.

Antiqua.

Quomodo probentur antiqua.pag.61.& 62.

Appellatio.

Per appellationem res reducitur in statum prioris iudicij.pag.42.

Attentatio.

Attentatione offenditur ius,pars,iudiciũ, iudex.p.103.

B.

Beneficium.

Beneficiũ in dubio non censetur concedi in præiudicium graue alterius.pag.40.

Benficium ecclesiasticum admittit mutuam permutationem.p.68.

C.

Carolus V.

Caroli V. edictum de decimis.pag.110.

Cister-

Ciſtercienſes.

Eorum priuilegium circa decimas.pag.38.

Clerici.

Clerici an teneantur ad decimas? pag.35. Diuerſæ hac de re ſententiæ. ibid. Quid de Clericis communiter viuentibus? p.37. Nolentes moniti decimas recipere, ſibi nocent, ſi damnum patiantur.p.44.

Colonus.

Colonus conuenitur, ratione fructuum à ſe perceptorum p.25.

Compromittere.

Compromitti poteſt cauſa decimarum. p.65. An in hoc compromiſſo requirantur ſolemnitates? p.66.

Conductor.

Conductor decimarum coram quo conueniatur. p.150.

Conſuetudo.

Conſuetudo quid differat à præſcriptione? pag.48. Derogat iuri communi. p.49. Cui & quando acquiratur per eam ius decimandi? ibidem. Debet eſſe rationabilis. p.50. item præſcripta? ibidem, & p.51. An per eam tollantur decimæ? p.108. & 109.

D.

Debitor.

Obtentu inopiæ non liberatur ab obligatione.p.31. Poteſt in carcerem detrudi. ibid. Si fame obruitur iuſte negat decimas.p.33.

Decima & decimæ.

Decima & decuma idem ſignificant.p.2.

Decima-

Digitized by Google

Decimarum notio. p.1. Quam antiquus earum vsus? p.2. Apud Ethnicos earum etiam vsum fuisse. p.3. Earum pendendarum necessitas per quem introducta. p.4. Earum descriptio. ibid. Earum diuisio duplex. p.7. Quibus de rebus pendi debeant. p.4. & à quibus. p.23. & 27. item 105. & 106. Cur potius decima quam alia pars præstetur. p.6. Quo iure decimæ sint introductæ. p.11. 38. & 107. Diuersæ hac de re sententiæ. ibid. & p.12. 13. 14. Verior sententia ponitur. p.15. 16. & 17.

Decimæ integræ & quando soluendæ. p.44. & 48. Cuius expensis inuehuntur. pag. 44. Quomodo repetantur. 123. Quæ dicantur prædiales, personales & mistæ pag. 7. & 8.

Decimæ prædiales sequuntur percipientem fructus, non possessorem fundi. pag. 23. 24. & 25.

Decimæ permutari possunt. pag. 67.

Decretales.

Decretalibus nihil inest superflui. pag. 41.

Depositarius.

Tenetur gratis domino depositum reddere; & id quod pro eo accepit restituere. pag. 28. & 30.

Donatio.

An per eam possint alienari decimæ. p. 65.

E.

Ecclesia.

Ecclesia est cultrix & auctrix iustitiæ. p.36. Quo tempore eius iuribus præscribatur. p.40.

Ecclesiæ

Ecclesiæ vnius decimæ per consuetudinem alteri penduntur. p.51. Item per præscriptionem. p. 53. & 54.

Emptor.

Quis dicatur emptor bonæ fidei. p.56.

Episcopus.

An Episcopo debeantur decimæ noualium? p.74. An quarta decimalis. p.75.

Error.

Error facti non inducit malam fidem. p.56. Quis error præscriptionem impediat. ibid.

F.

Feudum.

Feudum vni concessum alteri ab eodem subfeudari potest. p.91. An idem obtineat in feudo decimarum. ibid. & p.65. Quid dicendum de decimis in feudum datis ante Conc. Lateran. p.81.82.83. & 84.

Fiscus.

Fiscus à præstatione vectigalium est immunis: non is qui res à fisco emit. p.39.

Fructus.

Qui dicantur fructus, & qui in materia decimarum. p.9. fructus à solo separati, onere decimarum affecti sunt. p.23. fructus decimarum laicis elocari possunt. p.90.

Fundus.

Fundi tributarij possessores, an conueniri poßint quoad tributa ante non soluta. p.24. fundus ex vsuris emptus tenetur ad decimas. p.29.

G. Galli-

G.

Galliarum Reges.

Quid statuerint de decimis, p.110.

H.

Hereditas.

An ex hereditate & legatis pendendæ sint decimæ? p.5.

Hispaniæ Reges.

Hispaniarum Regum edictum de decimis. p.110.

Hospitalarij.

Hospitalariorum priuilegium circa decimas. pag.38, & 80.

I.

Instrumentum.

Instrumentum à iure æquiparatur testibus. p.63.

Iudex & Iudicium.

Iudex compellitur ad restitutionem eius quod accepit vt rectè iudicaret. p.28. & 30. *Iudex quis sit in causa decimarum.* p.119. 123. 124. & 125. & *quis iudex laici cui ius decimandi à Pont. concessum est.* p.129.

Iudicium de decimis quale & quo ordine intentandum. p.122. *Iudicium possessorium qui intentetur.* pag. 120.

Iuramentum.

Quando in iuramento possit adiri iudex sæcularis. p. 126.

Ius patronatus.

An sit mere temporale, p. 129.

L.

Laicus.

In causa spirituali non potest esse iudex. p. 66. Iuris decimandi est incapax. p. 77. & 78. Quomodo reddatur capax. p. 79. Quomodo probare posit decimas quas prætendit sibi ante Concil. Lateran. in feudum datas. p. 85. & 86.

Lex.

Lex cessat cessante ratione legis. p. 18. Legis veteris præcepta quotuplicia. p. 19. Ea abolita sunt. ibid. Quæ possunt repeti. ibid.

Lis.

Lite pendente nihil innouatur. p. 103.

Lucrum.

Quod dicatur lucrum tum alias: tum in materia decimarum. p. 10.

M.

Mansus.

Quid sit. p. 37. An ex manso in dotem ecclesiæ dato sint dandæ decimæ. p. 37.

Matrimonium.

In matrimonio quando cognoscat iudex sæcularis. pag. 125.

Meretrix.

An ex quæstu corporis sui decimas dare teneatur. p. 27.

Pro vsu corporis sui licitè aliquid accipit, quod repeti non potest.p.30.

Mimi & Moriones.

An ex quæstu suo decimas pendant.p.28.Non tenentur sua gratis facere.p.31.

Monachi.

An teneantur ad decimas & quales.p.37.& 38. Eorum priuilegium est personale p.38.& 39.

Monasteria.

Quæ transigere de decimis non possunt.p.117.

N.

Nouale.

Nouale quid de iure Canonico, & quid de iure Ciuili. p.68.& 69. Contractè aliquando accipitur.ibid.

Noualium decimæ cui competant.p.69.& 70. An possint præscribi. p.69. Non censentur comprehendi sub iure decimandi alicui à Papa concesso. pag.70. & 71.

O.

Oblationes.

Quæ sint oblationes. p.136. An ad oblationes missales obligemur ex præcepto.ibid. Quomodo distinguantur à decimis & primitijs.p.137.

P.

Papa.

Papa decimas ecclesiasticis prouentibus imponere potest.

test.p.10. Eius priuilegio liberari quis potest à decimis.p.64.

Parochus.

An possit parochus pacisci cum subditis vt pro decimis certi quid soluat.p.37. Ius decimandi ad eum de iure communi spectat.p.41.& 46. In prædialibus decimis cõtra quemlibet habet intentionem suam fundatam, ita quod non teneatur probare ius suũ etiam aduersus spoliatum p.46.& 47.

Pauperes.

Pauperes tenentur ad decimas.p.31.32.& 33.

Possessio.

Quarum rerum sit possessio & quasi.p.49. Nihil commune habet cum proprietate. p.125. Possessio rei spiritualis an sit spiritualis.p.129.

Prædia.

Quæ sint prædia vrbana quæ rustica.p.7.

Prædia ab vna ecclesia in alteram translata non eximuntur à functione decimarum.p.36.

Præiudicium.

Vbi alterius præiudicium vertitur is vocandus est cuius interest.p.32.

Prælatus.

Quam habeat administrationem in ecclesiæ bonis. pag. 118.

Præscriptio.

In quo differat à consuetudine.p.48. Aliquando pro consuetudine accipitur.p.49. quadragennalis præscriptio

ſcriptio actionem excludit.p.51.& 52. Quando ad præſcriptionem requiratur titulus.p.52.& 53. Præſcriptio immemorialis æquiparatur priuilegio. pag. 60. Quæ dicatur immemorialis, & quomodo probetur. ibid. & p.61.62.& 63. An præſcriptione acquiratur immunitas à decimis.p.112. An ſine poſſeſſione procedat.p.69.

Primitiæ.

Quid ſint & cur inſtitutæ.p.131. Quo iure debeantur. p.132.133.134.& 135.

Priuilegium.

Priuilegium perſonale perſonam ſequitur. p.38.& 39. Quo ad præiudicium tertij ſtricte accipiendum eſt. p.39. Suo quiſque renuntiare poteſt.p.41. Priuilegium ceſſat ceſſante cauſa priuilegij. p. 40. Cum præſcriptione an pari paſſu ambulet.p.80. Priuilegia quomodo exaudienda.p.69.70.71.72.

S.

Sententia.

Sententia lata per appellationem extinguitur vel ſuſpenditur.p.42. Non reſcinditur ob inſtrumentum de nouo repertum. ibid.

Seruitus.

Seruitus aquæ ducendæ quomodo acquiratur & præſcribatur.p.57.& 58. Quæ in ſeruitute acquirenda conſiderentur. p.59. Quomodo contra ſeruitutem præſcribatur.p.115.

Spoliatus.

Quis dicatur spoliatus.p.98. Ante omnia est restituendus.ibid. Aliter fit in iure decimandi.p.99.

Studiosi.

Studiosorum res immunitatem habent à vectigalibus non earum emptores.p.39.

T.

Templarij.

Eorum priuilegium circa decimas.p.38.

Transactio.

Transactione tolli vel minui possunt decimæ.p.117. Per eam acquiri ius decimandi cum Pont. vel Episcopi auctoritate. p.77. Quomodo in spiritualibus interdicta sit. ibid.

Tributum.

Tributum variè accipitur.p.26.

V.

Venditor.

Venditoris factum non nocet emptori.p.25.

Vsurarij.

Vsurarij tenentur ad restitutionem.p.29.

Finis Indicis de Decimis.

IN TITV-

IN TITVLVM DECRETALIVM, De Vſuris.

Capvt Primvm.

Vſuræ notio, deſcriptio, & quo iure vſura interdicta eſt.

Summaria.

1. *Vſuræ notio ſiue etymologia.*
2. *Quæ hodie vſuræ ſignificatio, & quod diſcrimen inter ius Canonicum & Ciuile.*
3. *Vſuram etiam fœnus appellari, & cur.*
4. *Vſuram duplici modo accipi.*
5. *De definitione vſuræ.*
6. *Vſura in quo conſiſtat.*
7. *Intereſſe duplex.*
8. *Andr. Gail ſententia improbatur.*
9. *Redarguitur eorum error, qui intereſſe ad reditum annuum reuocant.*
10. *Vſuram propriè committi circa mutuum, imo & in alijs contractibus. num. 12.*

Digitized by Google

11. *Ioan.Corasij ratio reiecta.*
13. *Vsuræ lucratiuæ & compensatoriæ.*
14. *Vsuræ lucratiuæ tam in contractibus bonæ fidei, quam stricti iuris, prohibitæ.*
15. *In consequentiam sperari posse quid ex mutuo.*
16. *Vsuræ diuino iure prohibitæ, & 18.*
17. *Consilia Euangelica non obligant.*
19. *Nicolai de Matta sententia improbata.*
20. *Item* [illegible]
21. *Alciati & D.Thomæ sententia refertur de Vsurarum admißione.*
22. *Cur vsuræ permissæ fuerint Iudæis erga peregrinos.*
23. *Pupillares vsuræ prorsus sublatæ.*
24. *Vsuræ an in vltima voluntate locum habeant, & ibidem de intellectu l.3. §. fin. ff. de annuis & menstruis legatis.*
25. *Auctoris sententia.*
26. *Vsuras etiam iure naturali prohibitas esse.*
27. *Reiecta creditorum obiectio friuola.*
28. *Vsuras & de iure Canonico interdictas esse, sed an & de iure Ciuili. 29. & num. 31.*
30. *Vsurarum species de iure Ciuili.*

1. VSVRA, si propriam eius notionem spectes, dicitur cuiuscunque rei vsus. Hac enim significatione locutus est Cicero in Oratione pro Caio Rabirio Posthumo, in fine, dum ait. *Vos obsecro iudices, vt huic optimo viro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen Equitis Romani, &*

& vsuram huius lucis, & vestrum conspectum, ne eripiatis. Et Verrina sept. *Cur piratis lucis vsuram tam diuturnam dedisti?* Et Plautus in Amphyt. *Vsuramque* ait *eius corporis cepit sibi.* Sed & transfertur vsura ad incrementum, quod prouenit tanquam fructus, ex vsu cuiusque rei. Idem Cicero de Senectute: *Terra nunquam sine vsura reddit, quod recepit.*

2. Quam significationem imitati sacri canones, & leges ciuiles, tum vtriusque iuris interpretes, appellarunt vsuram quicquid lucri causa sorti, id est, principali debito accedit, siue id in pecunia numerata, siue in alia re consistat. 14. *quæstione 3. per totam. cap. 1. cap. 2. c. consuluit.* 10. *& passim, extra, item in 6. & in Clementinis tit. de vsuris*: Nisi, quod ius Ciuile vsuram magis in pecunia numerata constituat. *l. eos.* 26. § 1. *& passim C. de vsuris, & eodem titulo in Dig. Panormitanus in Rubricam. num. 4. ext. de vsuris.* Alias vero res, quæ iure accessionis veniunt, in vicem vsurarum accipi velit. *l. si is qui.* 11. §. 1. *ff. de pignoribus. l. si ea pactione.* 14. *l. si ea lege* 17. *Cod. eodem titulo, & §. sancimus itaque Nouel.* 34. *nullum credentem agricolæ.* Verum ius Canonicum hanc scrupulosam distinctionem iuris Ciuilis non admittit; quo in quauis accessione lucri, peræquè vsura committitur, sicut constat ex *d. c. consuluit, & d. q. 3. cum similib.* Quod & sequuti sunt posteriores Imperatores, Maximilianus I. Carolus V. & Rudolphus II. vt infra videre est sub finem huius tractatus.

3. Vsura etiam fœnus appellatur. *l. improbum fœnus.20 C.ex quibus causis.infa & tit.ff.& C.de nautico fœnore*;eo quod vsura sit velut fœtura,siue fructus pecuniæ; vt auctor est Aristoteles *lib.1.polit. cap.7.& Varro apud. A.Gellium noct. Attica.lib.16. cap.12.* Vnde fœnerare, & fœnerari. *c.1.14.q.3.l. qui sine.30 ff.de negotijs gestis.& l.vxori.24.in prin. ff.de vsu & vsufructu per legatum.*

4. Vt autem hæc res explicatior sit, animaduertendum est in proposito argumento, vsuras duplici modo spectari; vel pro ipsa conuentione, siue intētione vsuraria,qua aliquid lucri causa paciscimur,aut saltē speramus.*c.3.c.4.ext.de vsuris.* Nā hinc dicimus vsurarium contractum, vsurarium negotium *l.si pupilli 6.in fin.& l.qui sine 40 in fine. ff.de negotijs gestis.* Vel pro re, quæ soluitur, vel speratur solui ex eadem conuentione, siue intentione. Quā ratione dicuntur vsuræ solui vel restitui, *c.cum tu 5.c. præterea 7.& c.tua.11.ext.de vsuris.cum similib.* Vtraq; exceptio ad titulum Decretalium de vsuris, pertinet; licet prior tantummodo peccatum designet, altera materiam,circa quam peccatum vertitur.

5. Circa definitionem siue potius descriptionem vsuræ,variè laborant Interpretes,cum alius aliam sibi fingat; sicut latè videre est,apud Felicianum de Solis Hispanum diligentissimum, *in comment. de censib. cap.5.* Sed præ reliquis mihi probatur ea quam refert Panormit.in Rubricam, extra. de vsuris; quod scilicet, vsura sit, quidquid sorti accedit

cedit ex pacto vel intentione præcedenti: Addendum tamen, lucri causa, quod à Panormit. omissnm est; ne id quod interest eadem definitione concludamus. de quo infra hoc cap. fusius. Quamuis & definitio Couarruuiæ *variarum resolutionum libro tertio, capite quinto, num.3. vers. vsura*, & Nauarri *in tractatu de vsuris not.5.* mihi non displiceat.

Verum Panormitani succinctior est, & rem satis explicat, fundaturque in *d.c.consuluit, extr.de vsuris*, & in illa Christi Saluatoris nostri sententia: *Mutuum date, nihil inde sperantes, Lucæ sexto*, & quasi communi Doctorum calculo recepta videtur, teste Augustino Beroo *in Rubricam de vsuris, numero* 15. licet ipse *numero* 16. eandem impugnet. Verum eam rectè vindicat Felicianus de Solis *d.c.5.numero* 3. Interim nec hic Felicianus in ea tuenda conquiescit; dum eam imperfectam esse asserit; ideo quod occasione mutui licitè sperari possit lucrum rei spiritualis; puta meriti vel gratiæ apud Deum: Item vsus amicitiæ & beneuolentiæ eius cui mutuum datum est, *Diuus Thomas in secunda secundæ, quæstione* 78. *articulo secundo, in respons. Nauarrus d. tractat. not.5. numero* 6. Addit & alteram rationem; quod in mutuo lucrum cessans & damnum emergens rectè in pactum deducatur. Sed quis non videt definitionem nostram exaudiendam esse de lucro sui natura pretio æstimabili? deinde, quod attinet ad lucrum cessans & damnum emergens; cer-

tum est, vtrumque in pactionem licitè deduci, non tamen tanquam lucrum vel damnum pecuniæ mutuo datæ; sed ex alio capite, quanti, scilicet, creditoris intererit, pecuniam suo tempore & loco solutam esse, vt paulo post magis explicabitur.

6. Quare à definitione Panormitani minime discedendo, intelligi debet per pactum, quæuis conuentio siue ea per stipulationem inita sit, siue persistat in nudo pacto, *l. 1. in princ. ff. de pact. iuncta l. 3. & l. 12. & ibidem Gl. C. de vsuris.* per intentionem vero, spes lucri capiendi; Nam & sola intentione siue conceptu animi, vsura committitur; sicut apertè docent *d. c. consuluit, & prædicta Christi sententia, in verbis. nihil inde sperantes, & quod apud Ezechielem legitur cap.*18. Vsuram & superabundantiam non acceperit. In quem locum Ezechielis ita Hieronymus. *Putant quidam vsuram tantum esse in pecunia; quod præuidens scriptura diuina; omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias quam dedisti: Alij pro pecunia fœnerata, solent munuscula accipere diuersi generis, & non intelligunt vsuram appellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* Extat in Decreto Gratiani *in c. putant.* 14. *quæst.*3.

Itaque vsura in lucri accessione consistit; & quidē rei temporalis, vt iam antè meminimus. Quo fit, vt rectè excusentur hi ab vsura, qui centum vel aliam pecuniæ quantitatem ideo mu-

tuo

tuo numerant debitori ſuo, vt eo facilius debitum vetus extorqueant: Siquidem hac ſpecie nullum lucrum capiunt, ſed ſuum conſequuntur, etiamſi de eo pactio interceſſerit. *cap.1. in fine, extr. de vſuris. Didacus Couarruuias variarum reſolutionum libro tertio, capite primo, numero ſecundo, verſ. vſura. & facit textus in l.fin.ff.de condictione ob turpem vel iniuſtam cauſam.* Item illi qui ratione eius quod ſua intereſt, à debitore aliquid recipiunt, vel petunt vltra ſortem; cum & hoc caſu nullum lucrum ſit, ſed compenſatio abſentis lucri vel damni præſentis quod creditor ſuſtinuit propter mutuum non perſolutum.

7\. Qua de cauſa DD. noſtri duplex intereſſe (liceat nobis hoc verbo in ſcholis & praxi recepto, vti) conſtituunt: Vnum damni emergentis, alterum lucri ceſſantis. De vtroque exſtant textus expreſſi in *l.3.§.fin ff.de eo quod certo loco, in l. ſi commiſſa.13.ff. rem ratam haberi, in l. cum prætor. 81.ff de verborum ſignificatione. & l.vnica.C. de ſententijs, quæ pro eo quod intereſt.* Damni emergentis; veluti ſi creditor propter extractam ſolutionem, aliquod damnum paſſus ſit; puta, quod corruit eius domus propter abſentem pecuniam, qua eâ reſtaurari potuit; vel frumentum ſiue alias res neceſſarias coactus fuit carius emere. Lucri ceſſantis; vt ſi creditor pecuniam ſuam negotiationi, aut emendo prædio, ſiue reditibus annuis deſti-

natam, roganti mutuo dederit. Nam lucrum, quod sibi hac ratione abest vel aberit, rectè petit, vel in conuentionem deducit vltra sortem. Illius hæc ratio est; quod non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *l. non debet alteri. ff. de regulis iuris.* & factum cuique suum, non alteri nocere debet. *l. factum cuique, ff. eodem titulo.* Posterioris, id est, lucri cessantis ratio est; ne creditori damnosum sit suum officium in præstando mutuum, quod & similiter iniquum creditori esset, per text. in *l. sed si quis 7. ff. quemadmodum testamenta aperiantur. cap. 2. ext. de fideiussoribus.* Sic videmus & in conductore prædij, vt si hic facto locatoris impediatur re conducta frui, vtrumque interesse, tam lucri cessantis, quam damni emergentis iure postulet à locatore, actione conducti. *l. si in lege 27. §. colonus, & l. si fundus quem 36 ff. locati.* quamuis aliud ferè in contractu emptionis & venditionis receptum sit. *l. si sterilis 22. §. cum per venditorum. ff. de actionib. empti.* Cuius diuersitatis rationem hic non persequor.

8. Et licet Andr. Gail. *lib. 2. obser. 6.* interesse lucri cessantis admittere non videatur, nisi in mercatore solito negotiari *per text. in d. l. 3. § fin. ff. de eo quod certo loco*; idem tamen omnino existimo & in alio, qui pecuniam paratam habet ad emendum prædiũ, quod annuatim, vel alio certo tempore, fructum reddit; Vt is prouentum prædij tanquam

tanquam lucrum cessans, possit in conuentionem deducere, vel à mutuario petere, secundum S. Antoninum, quem & alij communiter sequuntur, teste Martino Nauarr. *in c. si fœnerauerris. 14. q. 3. vel in commentario, de vsuris. n. 56. & in manuali. cap. 17. n. 211* Neque refert hoc casu, mora debitoris in soluendo intercesserit vel non; vt idem docet Nauarr. *in d. c. si fœnerauerris. n. 43. cum seqq.* Sufficit enim facto debitoris, etiam à creditore non interpellati, lucrum abfuisse: dum tamen vera intentio creditoris fuerit pecuniam debitam & nondum solutam in lucrum cõuertendi: ne si diuersum dicatur, officium sibi suum creditori damnosum sit, *contra d. l. sed si quis. & c. 2. extra. de fideiuss.*

Quare contra eundem Andr. Gail. necessario concluditur, idem plane iuris esse in pecunia parata ad emendum censum annuum; etiamsi creditor aliâs non sit mercator neque negotiator. Dummodo meminerimus vtrumque interesse tam damni emergentis, quam lucri cessantis, non consistere in iure, sed in facto, hoc est, certo iure eius æstimationem non contineri, sed à iudice incundam esse ex absentia lucri vel præsentia damni, quod ratione mutui incurrit creditor: iuxta iuris regulam: *Quatenus cuius intersit in facto, non in iure consistit l. quatenus. ff. de reg. iuris.* Ac proinde eius probatio incumbit creditori, antequam eius nomine condemnari possit debitor. *l. 2. ff. de prob.* seruata tamen moderatione *l. vnic. C. de sententijs quæ pro eo.*

7\. Vt hinc consequens est, eos grauiter hallucinari, qui loco interesse quinq; vel aliam pecuniæ quantitatem pro centum imputent, instar annuorum censuum; aut simpliciter speciosum nomen interesse obtendunt, tanquam eo excusentur à crimine vsurarum, sed probare debet creditor tanti sua interesse. At, inquiunt, *interesse*, vel solum ex hoc capite peti potest, quod nemo præsumatur pecuniam quæ ex mutuo, aut ex alia causa sibi debetur, voluisse retinere otiosam, si ea ante soluta fuisset, sed eam potius collocasse, in honestum lucrum; veluti in emptionem prædij, aut annui census; atque idcirco recte putant posse peti illud lucrum cessans. Sed nullo iure probatur hæc præsumptio, imo eam falsam esse aperte euincitur ex *l. qui semisses.* 13. §. *finali. ff. de vsuris. Quæsitum est*, inquit Scæuola, *an iudicio negotiorum gestorum vel mandati pro pecunia otiosa vsuras præstare debeat; cum dominus nullam pecuniam fœnerauit? Respondit, si eam pecuniam depositam habuisset; idque ex consuetudine mandantis fecisset; non debere quicquam vsurarum nomine præstare.*

Quod & quotidiana experientia constat: Quosdam enim esse adeo irretitos cupiditate pecuniarum, vt vel sola earum inspectione aut numeratione delectentur; Alios vero, selectos nummos affectionis gratia in thesaurum quendam recondere: Tertios qui prudentiores sunt, præsidij causa certam pecuniam separatim seponere, vt tempore necessitatis habeant, quo confugiant. Quod & te-

& testatur elegans responsum Proculi I Cti. *in l. si chorus. 77. ff. de legatis 3.* sub his verbis: *Quæ ibi mobilia mea erunt, do, lego; nummos ibi repositos, vt mutui darentur non esse legatos: Proculus ait, ad eos quos præsidij causa repositos haberet (vt quidam bellis ciuilibus fecitassent) eos legato contineri; & sæpe audiuisse se rusticos senes ita dicentes; pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium apellantes, quod præsidij causa seponeretur.* At quis dubitat, nõnunquam ex his fieri mutuum amico indigẽti? Quare præsumptio iila, qua nemo censetur otiosam habere pecuniam, necessaria non est, & ne quidem probabilis; nisi forte aliud suaderet personæ industria, quæ interdum talis est, vt non patiatur apud se feriari pecunias suas. Cuius disquisitio & cognitio ad iudicem pertinet, *arg. l. 3. ff. de restitutione in integrum. l. in causa 14 ff. de minoribus, & l. 3. in fine. ff. ex quibus causis maior.*

Vnde non obstat Recessus deputatorum Imperij Spiræ celebratus Anno 1600. & à Rudolpho II. confirmatus, *post medium in §.* So viel nuhn disen nach / vbi in Camera Imperiali decernuntur creditori propter moram mutui non soluti à debitore, quinq; in centum, loco interesse: nisi ille quinq; non contentus probare velit, sua pluris interesse ratione damni emergentis & lucri cessantis. Sed hoc inspecta persona creditoris, vbi sc. is probabiliter ex mutuo, si sibi solutũ fuisset & applicatum alteri rei permissæ, erat vt minimum adquisiturus quinque in centum. His enim

verbis

verbis vtitur Recessus: Der Vermutung halben/ daß der Creditor sein Gelt von solcher Zeit an/anlegen vnd zugelassener Weiß/zum wenigsten von hundert Gulden fünff wol haben möge. Ecce Recessus non simpliciter quinque pro centum imputat loco interesse, creditori, sed considerata industria personæ suæ, si tantundem ex mutuo soluto colligere potuerit, vel eo non soluto damnũ passus sit. Cui consequens est, vt si nihil lucri vel damni causa absit creditori, nec quinque, neque aliud quid, ipsi debeatur. Vnde hac in re, arbitrium iudicis versabitur.

10. Sed ad rem propius. Vsura proprie in contractu mutui committitur. *ca.1. cum sequentib.14.qu.3.* & Christi quoque sententia de solo mutuo loquitur, *mutuum date, nihil inde sperantes.* Ideo quod in mutuo transferatur rei mutuatæ dominium in accipientem. Nam inde dictum est mutuum, quod ex meo tuum fiat. *l.2.§. appellata.ff. si certum petatur.*

Proinde iniquum est pro vsu rei, quæ iam alterius facta est, quidquam exigere aut sperare. |Vnde & Pomponius I Ctus *in l. vsura.121.ff. de verb. signifi.* pulchre asserit, vsuram pecuniæ quam percipimus in fructu non esse: *quia*, inquit, *non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, id est, noua obligatione*, videlicet, stipulatione mutuo adiecta. *l.3. C de vsuris.* Quod aliter euenit in contractibus, in quibus dominium rei in accipientem non transit: veluti in locatione, in qua propter vsum rei nostræ, licite ali-

te aliquid paciſcimur, vel recipimus in vicē mercedis, inſtar mutuæ cuiuſdam compenſationis. quemadmodum latius explicat D. Thomas *in 2. 2.q.78.art.1.in reſponſione.*

11. Et quamuis hæc ratio Ioan. Coraſio *lib.3.Miſcellan. cap.21. num. 7.* videatur longe nimium petita,& vt ipſe ait, acuta & ſubtilis magis quam vera; nihilominus ex natura contractus eam recte petitam exiſtimo. Sed rationem Coraſij inſpiciamus: ideo enim is exiſtimat vſuras prohibitas eſſe; quod abſorbeant egentium fortunas, dum hi in neceſſitate conſtituti pecunijs à fœneratoribus ſub quacunq; lege acceptis, tandem ad ſummam inopiam redigantur; verſuram ex verſura facientes; hoc eſt, noua ſemper debita contrahentes, vt præcedentium debitorum vſuras perſoluant;atque ita accidere, *quod vſuram fuget vſura, vſura altera reſtet.* Verum hæc ratio non plane conſtat:cum abſque huiuſmodi incommodis vſura committi poſſit. Sed ſi qua alia, melior eſt, hæc eſt quam ibidem ſubijcit his verbis: *Hodie,* inquiens, *Lege Chriſti, vſura omnino prohibita eſt, neque enim charitati (quæ tamen inter mandata Dei præcellit) quoquo pacto conuenit mutuum in lucri certitudinem vertere. Ideoque Chriſtus Opt. Max. noluit ex mutuo quicquam ſperari.* Ita Coraſius. Quod & infra fuſius confirmabitur. Interim & prior noſtra ratio veriſſima eſt ex natura contractus, vt diximus,deſumpta.

12. Diximus vſuram in contractu mutui committi,

mitti;& id quidem proprie, hoc est, inspecta verborum forma: At improprie, siue ex mente contrahentium (quæ vel inprimis in agendo inspicienda est. *l. insulam. 6. ff. de præscript. verb. & tit. C. plus valere quod agitur. & c. intelligentia. 6. extr. de verb. signi.*) etiam in alijs contractibus admittitur; veluti in emptione & venditione; cum scilicet, res pluris iusto pretio venditur, propter dilatam solutionem, aut minoris, propter præsentem siue anticipatam solutionem. *c. consuluit, & c. fin extra. de vsuris.* vt in specie, *c. ad nostram. 5. extra. de empt. & vend. & in c. illo. 4. ext. de pignorib.* sicut inf. cap. 3. latius discutietur.

Quibus etsi suffragari videatur textus *in l. mora 32. §. in bonæ fidei. ff. de vsuris. In bonæ fidei contractibus*, inquit textus, *ex mora vsuræ debentur. Item in l. vsuræ. 34. ff. eodem. in l. in bonæ fidei. C. eod. in l. initio 5. C. de pactis inter emptorem, & in l. 5. Cod. de actionib. empti.* quibus in omnibus bonæ fidei contractibus vsuræ dicuntur venire, ex mora. Sed

13\. alia horum iurium sententia est: Quippe, quod non loquantur de vsuris lucratiuis, id est, merum lucrum continentibus, de quibus, hic disputatio est; sed de compensatorijs, vt vocant, vsuris, ratione videlicet, *interesse*, propter moram debitoris; sicut ex Azone & Hugone tradit Glossa *in l. 2. Cod. de vsuris. & ibi Bartholus & Salycetus. Glossa in cap. conquestus, & ibi Panormitanus extra. de vsuris. latius Couarruu. variar. resolut. lib. 3. cap. 4.* Quod vel indicat responsum I Cti. *in l. socium. 61.*

ff. pro

ff.pro socio, vbi his verbis: *Socium qui in eo, quod ex societate lucri fecerit, reddendo moram adhibuit; cum ea pecunia ipse vsus sit; vsuras quoque præstare debere, Labeo ait: sed non quasi vsuras, sed quod socij intersit moram eum non adhibuisse.* Idem constat ex l. 5. C. de actio. empt. *Curabit*, inquit tex. *Præses Prouinciæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretij quam penes se habet, cum vsuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor (licet nulla mora intercesserit) generauit.* Et ex l. 2. C. de vsuris. *Vsuras emptor* inquit *cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit, quamuis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit, æquitatis ratione præstare cogitur.* In eandem quoque sententiam extat text. in *l. Julianus* 14. §. *ex vendito. ff. de action. empti.* Ex quibus constat, interesse interdum distingui ab vsuris, scilicet, lucratiuis; interdum vero confundi cum vsuris compensatorijs, quæ licet vsuræ nominentur; tamen veræ & propriæ non sunt, cum tantummodo contineant interesse creditoris. De quo supra egimus hoc eod. cap.

Ceterum vsuræ, quatenus lucratiuæ sunt, tam in contractibus bonæ fidei, quam stricti iuris, in stipulationem vel aliam conuentionem deductæ, nulla ratione peti possunt, sicut liquet, ex *ca. consuluit.* 10. *& cap. finali. & passim. extra. de vsuris.* Tametsi enim contractus bonæ fidei, natura sua sint, & dicantur bonæ fidei; tamen si ex stipulatione, vel alia pactione lucrum aliquod ijs 14.

præter

præter *intereſſe* acceſſerit; illud iuris interpretatione in mutuum degenerat; quaſi ſolutione facta à debitore, breui rurſus manu à creditore ad debitorem eadem pecunia redierit. *arg. l. ſingularia. 15 ff. ſi certum petatur. & l. licet. 44. §. 1. ff. de iure dotium.* Quo tamen referri non debet contractus emptionis & venditionis annui cenſus ſiue redditus, prout infra cap. 10. fuſe tractabitur.

5\. Sed & hic animaduertendum eſt; quod etſi mutuum gratis præſtari debeat; non tamen idcirco prohiberi creditorem, quin minus principaliter, & in quandam conſequentiam lucrum aliquod ſperare poſſit. ex ſententia Martini Nauarri in Manuali. *cap. 17. num. 209.* vbi hoc ſimili exemplo comprobat, deducto ex *ca. ſi officia. 59. diſt. & c. quid proderit 61. diſtinct. iuncta ibidem Gl.* dum ex his probat licitum eſſe, eccleſiæ ſeruire vel Prælato, ſpe ſecundaria, licet non principali, beneficium obtinendi. Nam ſi principaliter, ſimonia contraheretur. Item & ex Pſalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Ex eo deducens; quod tametſi principaliter interdictum ſit ſeruire Deo propter remunerationem terrenam: non tamen vetitum eſſe aſſerit, ſi id minus principaliter fiat. Quod & rationem habet; cum in contractu initium & cauſa eius potiſſimum ſpectetur. *l. ſi procuratorem. 8. in princ. ff mandati. l. non omnis. 19. ff ſi certum petatur.*

Restat vt hic altius repetamus, quo iure vsuræ interdictæ sint.

Et in primis in confesso est; exercere vsuras, esse peccatum; & consequenter iure diuino prohibitum esse. Quod autem peccatum sit, probat d. sententia Christi; *mutuum date nihil inde sperantes* Similiter locus est Ezech. *sup. allatus, iuncto d.c. consuluit. ext. de vsuris, & text. in c. vnico. de vsuris. in Clementinis*, quo & iubetur animaduerti in eos tanquam hæreticos qui id pernegant. Vnde & Psalmographus his verbis exclamat. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, &c. qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Psalm. 14. Quibus certe consequens est, iure diuino prohibitas esse vsuras; cùm omne peccatum Deus auersetur, iuxta illud Sap. c. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* & Prou. 14. *Miseros facit populos peccatum.* 16.

Nec mouet, quod d. sententia Christi inter Euangelica consilia recenseatur Luc. 6. vt sunt, de diligendo inimico, de præbendo percutienti maxillam alteram. At certum est euangelica consilia non obligare ad peccatum; Nam respondetur, id quidem verum esse, quoad ipsam mutuationem siue dationem mutui, ad quam nemo adstringitur; & idcirco ea consilij est. Vt autem inde nihil capiatur aut speretur lucrũ, præcepti est; sicut docet D. Tho. 2.2 *q. 78. a. 5. ad 4. arg. Dare mutuum inquit non semper tenetur homo. Et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo* 17.

non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti. Proinde Petrus Binsfeldius *in cap. quia in omnibus. quæst.3. conclus.2. extr. de vsuris.* recte censet, Christi sententiam plenioris intelligentię gratia, in duas partes distribuēdam esse: vnam, quoad dationē mutui, alteram vt ex eo nihil speretur. Priorem partem ait, S.Thom. Ant. Conrad. aliosq; antiquiores Theologos bene intellexisse, & docuisse esse consilij extra casum necessitatis: Posteriorem vero præcepti. Simile exemplum subijcit ex Psal.75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, vbi & prius verbum consilij esse asserit, vt reuera est, & subsequentia præcepti. *c.magnæ.7.ext.de voto.* Quod & confirmat text. *in d.c.consuluit.10.* eadem sententia Christi repetens ad improbandas vsuras.

Neque his aduersatur alter locus apud Lucam cap.19. vbi factum eius reprehenditur, qui accēptam pecuniam ad negotiandum conseruauerat, & fœnori non exposuerat. *Quare* inquit text. *non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam.* Quasi ex hoc videri posset, iure diuino non improbari vsuras. Sed respondet D.Thomas *in d.q.78. art.1.ad 1.arg.* vsuram ibi metaphorice sumi pro profectu bonorum spiritualium, quem Deus à nobis exigit: Idque vel ex eo constat, quod ibi in modum parabolæ loquatur Christus, referendo quidem facti veritatem (vt olim fieri solebat apud mensarios siue argentarios, dum pecuniæ fœnebres apud eos deponerentur, quas ipsi postea per par-

tes

tes erogabant & collocabant. *l.4. l.9. §.penult. ff. de liberatione legata.)* non tamen approbando factum tanquam in se licitum. Similis parabola est apud eundem Lucam *capite* 16. de villico, cuius & factum fraudulentum ibi recensetur; eaque ratione probatur; vt eius exemplo inducamur in rei spiritualis cognitionem & amorem.

18. Itaque iure diuino interdictæ sunt vsuræ. vt & testantur Martinus Nauarrus *in tractatu de vsuris num.7. & 8. Andreas Gail lib.2. obseruat.5. nu. 5. Ioannes Corasius Miscellaneorum lib. 3. cap. 21. in fine. Petrus Binsfeldius in dict. cap. quia in omnibus. 1. conclusione. & Didacus Couarruuias lib. 3. variarum resolut. cap.1. num.5.* vbi & prædictam sententiam Christi adducit, additque Theologos & Canonistas frequentissimo omnium consensu existimare, vsuram iure diuino, etiam Euangelico vetitam esse. Quocirca & *ibidem nu.6. Ego sane* inquit *censeo leges Iustiniani permittentes & approbantes vsuras, improbas esse, cum iuri naturali & diuino refragentur.* Quod & fatetur Baldus *in Authentica. Adhæc. num.4. cum seqq. Cod. de vsuris;* vbi asserit, leges permittentes vsuras per se inualidas esse, propter ius diuinum. *Nam cum ius diuinum* ait *sit maius quam ius ciuile, non potest tolli; & quicquid est contra institutionem diuinam, est peccatum.* Quo loco etiam refutat Nicolaum de Mata aliter sentientem, nam cum hic putaret ius diuinum, quo

19. vsuræ prohibentur, per legem humanam distingui & temperari posse, propter publicum

 bonum;

bonum; vt scilicet, moderatæ vsuræ permittantur pro solatio creditorum, & vt ad subsidia pauperum eo facilius inuitentur; argumento alterius præcepti diuini: *Non occides*, quod & ex iure humano moderationem accipit, vt videre est *in l. 1. & in l. 2. C. quando liceat vnicuique sine iudice*: occurrit illi Baldus, quod iuri diuino per humanam legem derogari non possit; additque, vel in vno nummo licitas non esse leges vel statuta, quę vsuras permittunt. *vt in c. graui, de vsuris. in Clem.* imo huiusmodi statuta ex libro communicatum expungenda esse, & iudicantes secundum ea esse excommunicatos. Hæc Baldus.

20. Simili ratione refellitur Carolus Molinæus à Martino Nauarro *in c. si fœnerauer is.14. qu.3. num. 11. qui est tractatus de vsuris*, quod scilicet, is nimia iudicij sui confidentia (vtor verbis Nauarri) ausus fuerit affirmare, licitas esse vsuras moderatas *per l. eos. C. de vsuris.* toto iure Canonico non obstante.

21. Verum Andr. Alciatus *in l. vsuræ. 121. ff. de verbor. sign.* etsi initio fateatur, vsuras diuinis Christi traditionibus esse interdictas, tamen postea circa finem existimat publice interesse, si lex ciuilis certum modum fœnerantibus constituens, apud suos (Italos, quantum assequor) seruaretur, & qui eum excederent, plecterentur, *Nam præter canonum* addit *prohibitionem, non nisi pessimus quisq; & impudentissimus fœnerat, qui cambij vel eius quod interest nomine, vel alio ficto titulo indigentem atque necessi-*

necessitate (quod humaniores non reperiat) compulsum, deglubit. Quod certe non negauero, vbi ita hominum animi comparati sunt, vt nisi capto vel expectato lucro nolint dare mutuum. Hoc enim casu, ne egentes in maiora incommoda incidant, aut commercia hominum impediantur, cum pernicie Reipublicæ, dubium non est vsuras moderatas statuta lege permitti posse. Nam & D. Thomas *in 2.2.q.78.* dum hoc arg. pro vsuris tertio loco mouisset: *In rebus humanis determinatur iustitia per leges ciuiles; sed secundum eas conceditur, vsuras accipere; ergo non videtur esse illicitum;* Respondit his verbis: *leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita, propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ vtilitates impedirentur, si omnia peccata districte prohiberentur, pœnis adhibitis. Et ideo vsuras* addit *lex humana concessit; non quasi existimans eas esse secundum iustitiam, sed ne impedirentur vtilitates multorum.* In quem locum ita Caie. *quod stando intra terminos iuris diuini & naturalis, licitum est condere leges permissiuas vsurarum, non propter lucrum Principum quod ab vsurarijs percipiunt (quia hoc est participare in crimine) sed propter vitandum malum, puta furta, &c. Quemadmodum licitum est condere leges permissiuas meretricum, propter vitanda adulteria, nec huiusmodi leges sunt iniustæ.* Ita Caietanus. Sic ego aliquando in Belgio vidi vsurarios manifestos, quos Lombardos vocant, impune exercere vsuras, & constituto certo lucro in vsuris. Et refert Martinus Na-

narr.*con.33.sub tit.de vsur.n.3.* Papam in suis ditionibus etiam in Vrbe permittere Iudæis exercitium vsurarum certa moderatione adhibita.

12. Sic rursus D. Thomas illud Deuteronomij 23. *non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* interpretatur *dicta quæstion.* 78. *articulo* 2. *ad secundum:* quod concessum quidem fuerit Iudæis vsuras ab extraneo recipere, non tamen, vt licitas, sed ad euitandum maius malum, ne scilicet fratres suos, id est Iudæos Devm colentes vsuris onerarent.

13. Ex his quoque infertur, quod ante iure ff. & Cod. constitutum erat in tutore & curatore, vt hi ex pecunia minorum fœnerarent, vel prædia idonea emerent. *l. tutores.* 24. *Cod. de administratione tutorum. & l. quoties.* 10. *in princip. ff. eodem.* (licet postea paulo aliter ex Iustiniani Nouell. 72. *vt hi qui oblig. se habere.*) iure diuino & Canonico plane sublatum esse, quod ad fœnus attinet.

14. Verum hic dubitatio non leuis suboritur circa l. 3. §. final. ff. de annuis & menstruis legatis. vbi ita Vlpianus: *Si cui certa quantitas legetur, & quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid, veluti vsuras iusserit testator præstari, legatum valet: sed in vsuris hactenus debet valere, quatenus modum probabilem vsurarum non excedat.* Hic, inquam, non leuis dubitatio suboritur; an huiusmodi vsuræ ex vltima voluntate debeantur inspecto iure diuino & Canonico? Negat Bartholus

lus *in dict. §. final. & in l.2. numero 3. ff. de ijs quæ pœnæ nomine relinquuntur.* vbi & hanc rationem reddit; ſicut enim ait, de iure ciuili vſuræ ſunt prohibitæ vltra certam quantitatem, puta, conſtitutam *in l.eos.* §.1.*Cod.de vſuris.* ita hodie de iure Canonico ſunt in totum prohibitæ. Et ſic Bartholus exiſtimat *dict.* §. *final.* per ius Canonicum ſublatum eſſe. Cui accedunt Iaſon *in repetitione. l.* 1. *num.* 29. *cum duobus ſequentibus, Cod. de Summa Trinitate, ceterique Doctores, teſte eodem Iaſone ibidem.* Nominatim vero Iaſon refert Puteum ita reſpondiſſe & obtinuiſſe Papiæ in ſimili facti ſpecie : Teſtator legauerat Sempronio mille florenos; hac lege, vt ſi non poſſet eas heres confeſtim ſoluere, ſolueret quotannis vnam vini Begundiam (eſt certa menſura loci.) Accidit autem, quod cum heres moram traxiſſet ſoluendi vinum per triennium, legatarius tres huiuſmodi menſuras ſibi dari petierit. Sed Puteus ſecutus Bartholũ reſpondit, heredem eas non debere, quod vſuram continerent. Eandem ſententiam tuetur & Didacus Couarruuias *variar. reſolutionum lib.* 3.*cap.* 1. *num.* 9. vbi & multos alios eiuſdem ſententiæ ſuffragatores enumerat.

Ceterum Paulus Caſtrenſis *in d. l.*1. *n.*14. hanc opinionem improbat; ex eo, quod teſtator poſſit grauare heredem pœnæ nomine; ſi legatum non præſtiterit. *l. vnica. C. de his quæ pœnæ nomine in teſtamento. &* §*.pœnæ.inſt.de legatis.*

Vnde putat ipse, veram vsuram dici non posse, vbi facto testatoris, hæredi onus impositum est. Adeo, quod idem Paulus Castrensis *in l. apud Iulianum, alias incipit, Aphricanus. §. fructus. in lect. Bonon. ff. de legatis* 1. *prout eum citat Iason d. loc.* dicat, mirari se plurimum de sententia Barth. propter *tit. ff. & C. de his quæ pœnæ no.* Quo tamen loco errat Ias. quod idem ante Castrensem sensisse referat Baldum. *in d. l. vnic. C. de his quæ pœnæ no. nu.* 38. *q.* 3. Cum Baldus de diuersa specie loquatur. Quare recitemus verba Baldi, vt eo magis detegatur error Iasonis. *Tertio*, inquit, *quæritur: Testator mandauit hæredi, vt daret mihi mille, aut centum quolibet mense in vita mea, nunquid potero ista centum quolibet mẽse in vita mea petere? Et videtur, quod non, quia testator in vltima voluntate non potest vsuras permittere, vt no. in l. 2. ff. de annuis legat.* Dic contra subijcit Bald. *quia ista non est vsura, sed alternatiuum legatum: cum non possit peti vna cum mille; de natura enim vsuræ est multiplicatio obligationis, non alternatio.* Bald. igitur de alia specie loquitur extra quæstionem nostrã, illiusq; decisio verissima est. Etenim in alternatiuis sufficit alterũ impleri. *c. in alternatiuis.* 70. *de regulis iuris. in* 6. *l. in eo*, 110. *§. vbi verba, ff. eod. & §. si plures. Instit. de hæred. instit.*

Nihilominus Andr. Alciatus *lib.* 5. *paradoxor. c. vltimo.* Paulum Castrensem sequitur hac ratione ductus, *Si enim* inquit *in confesso est, posse quemlibet tot annua legare, donec illud, aut illud factum sit, nonne idem & hoc casu admittendũ æquitas admonet:*

veluti

veluti, cum dictum fuerit, donec illi centum dederis, tot annua heres meus dato? Siquidem vsura ea est, cum ab inuito quis extorquet pecunias ob moram: At nostra quæstio tunc procedit; cum pecuniæ ab inuito non exiguntur; heres enim non ex sua, sed ex defuncti persona tenetur, & eius voluntatem exequitur; vt hæc præstatio eodem iure censeri debeat, atque si testator ipse pecuniam repræsentaret: quo casu fœnus non est, cum sponte soluitur: sed & vtique heres qui annua illa soluit, non de suo soluere, sed de testatoris ære creditur, quam legem suis rebus imponere eum potuisse, non dubitauerim. His accedit, omnes leges quæ vsuras exerceri prohibent, de his loqui quæ ex contractu debitoris pactioneue aliqua debentur; quod hic dici non potest; Quod ergo mutatum non est, cur prohibetur stare? l. præcipimus C. de appellationibus. Hæc Alciatus. Quo tamen loco, in fine hanc sententiam moderatur, vt eam intellectam velit, vbi à testatore non est expressum, tale legatum annuum deberi pro vsuris; at secus, si expressum sit; cum expressa noceant, non expressa non noceant, *vulg. l. expressa ff. de reg. iuris.*

Sed & Felicianus de Solis. *in tract. de censib. lib. 2. cap. 5. num. 5.* Eandem sententiam tuetur, eadem prope ratione; quod scilicet, ex Theologis & Iuris Pontificij Professoribus, sæpissimè constet, vsuram non posse reperiri, nisi in mutuo vero, & præsumpto, aut interpretatiuo; at hic nullum tale mutuum est; cum legatarius nihil numeret, nihil extorqueat. Vbi & respondet ad Vlp. locum

in d.l.3. §.fin. verbũ *vsurarum,* non propriè ibi sumi affirmãs, sed largissime & impropriè, pro quolibet successiuo incremento, siue abundantia. Vt hinc planè anceps relinquatur hæc quæstio.

25. Ceterum non existimo à priore sententia discedendum esse, quæ aperto textu nititur *in d.l.3. §.fin.* Nam quod primo loco in confesso esse asserit Alciatus, testatorem posse tot annua legare, donec illud aut illud factum fuerit; nihil huic refragauerim, si annuum legatũ facto adiectum sit; At contra; si quantitati pecuniæ *vt in specie d.§.fin.* Nam tũc rem in vsurarum vitium incidere prorsus existimo. Si enim constituamus, testatorem heredi mandasse, vt Titio insulam ædificet, aut aliud quid faciat ad emolumentum Titij, adiecta pœna annua, donec factum fuerit; certum est, hanc pœnam legitimè deberi, quod emolumenti loco succedat: Secus vero, vbi legato quantitatis pœna apposita est. Quid enim est, quod hanc pœnam legatarius extorqueat; cum ratione legatæ pecuniæ, quæ natura sua sterilis est, nihil emolumenti legatario absit; nisi forte legatarius obtenderet interesse lucri cessantis vel damni emergentis. de quo supra egimus. Neque distinguendum puto, vtrum hoc annuum legato quantitatis adiectum sit, sub nomine vsurarum, an remoto vsurarum nomine; cum pœna apposita quantitati censeatur adiecta in fraudem vsurarum. *l. Iulianus* 14. *§. ibidem Papinianus. ff. de actionib. empti.*

Es

Et quod addit Alciatus, vſuras ab inuito extorqueri, verum eſt in dubio. Cum nemo præſumatur res ſuas iactare. *vulgata l.cum de indebito 25. ff. de probationib.* Id euenit & in præſenti caſu, ideo quod heres legatum non præſtando, cogatur ad vſurarum ſolutionem, idque non tam ex voluntate teſtatoris quam ex proprio facto, cum malit heres vſuras præſtare quam ipſum legatum quantitatis. Igitur hoc legatum tanquam mutuum ſub vſuris heres retinet. Aliud vero eſt, vbi tale legatum alternatiuum eſt, vt antea ex Baldo retulimus, vel peti non poteſt niſi poſt certum tempus; atque interim heres certam annuam penſionem præſtare iuſſus eſt. Nam hac ſpecie legatum valere, omnino crediderim. vti & Didacus Couarruuias. *d.c.1.num.9. vſque ad finem.* Ex quibus etiam facile eſt reſpondere ad rationem ipſius Feliciani.

Porro maioris momẽti eſt reſpondere ad Paulum Caſtrenſem, propter *d.l. vnicam Cod. de his quæ pœnæ nomine. & d. § pœnæ, Inſtit. de legatis.* Opinor tamen vtrumque textum exaudiendum eſſe, vbi ſcilicet, legato corporis vel alterius ſpeciei quam quantitati, pœna adiecta eſt. Nam quantitati adiecta pœna, cenſetur in fraudem vſurarum adiecta, vt paulo ante diximus *ex d. §. ibidem Papi. & quæ ibi notat Accurſius*; Ita quod prorſus exiſtimem, non minus in vltima voluntate quã in contractibus vſuram committi. Neque verum eſt, quod inquit Alciatus; leges omnes quæ vſuras

exerceri

exerceri prohibent, de his loqui, quæ ex contra-ctu debitoris, pactioneue aliqua debentur, non vero ex vltima voluntate; cum contrarium constet, eas ex *d.l.3.§ fin.* etiam ex vltima voluntate venire, adeoque illicitas esse, licet conceptæ sint intra modum, qui à Iustiniano certa quãtitate præscriptus est. *in l.eos.26.§.1. C. de vsuris.* E contra vero, si sententiam Castrensis & Alciati sequeremur, nihil interesset præscriptumne à iure modum, vsuræ excederent, an eo continerentur.

16. Ceterum & iure naturali prohibitas esse vsuras, quinque rationibus comprobat Didac. Couar. *d.c.1.num.5.* quas hîc consulto omittimus, vnica tantum Aristotelis ratione contenti. Is 1. polit:lib.cap.7. ita inquit. *Commutationis causa nummus inductus fuit, fœnus autem seipsum maius facit; vnde & nomen venit: quoniam illa quæ pariuntur similia sunt generantibus: in fœnore autem nummus nummum parit. Quare maximè præter naturam est, hic acquirendi modus.* Et certè, cum teste Florentino IC.to *in l. vt vim ff. de iustitia & iure* natura inter homines cognationem quandam constituerit: item auctore Papiniano *in l. seruus 7. in fine. ff. de seruis exportandis.* cum beneficio affici hominem intersit hominis: videtur omnino aduersari societati humanæ, vt eam quis pecuniam, quę alias apud se otiosa est, non velit alteri communicare, nisi cum lucro suo, & damno siue detrimento recipientis; vtpote non absimilis cani in præsepi (vt prouerbio iactatur) imo & eo deterior,

qui

qui in præsepi decumbens, nec fruitur hordeo, nec equum frui patitur.

Sed reijcit creditor vsurarius, se non iniquè additamentum petere ex pecunia otiosa; quod vereatur; ne aliquando debitor facultatibus lapsus, soluendo non sit, aut solutionem malitiosè sit extracturus. Improbus hic prætextus est; cum mutuum dare voluntarium sit, vt & alij contractus, *l. sicut* 5. *C. de actionib. & obligat.* & si dederit mutuum facile sibi in vtrumq; casum consulere possit; vel accepto pignore, vel dato fideiussore; vt ita saluum sibi maneat debitum. 27.

Neque hîc attinet disquirere, an iure canonico vsuræ interdictæ sint; Id enim diserte testantur Decretales sub tit. de vsuris, & causa 14. quæst. 3. aliaque loca iuris Canonici, quæ passim obuia sunt. 28.

Sed quoad ius Ciuile, non omnino expeditũ est an eo iure interdictæ sint vsuræ. Et quidem cõstat iure ff. & Cod. permissas fuisse vsuras, ad legitimum tamen modum in *d. l. eos* 26. §. 1. *Cod. de vsuris.* 29.

Quo loco pro personarum qualitate, diuersæ vsurarum species statuuntur; vt sunt, centesimæ, besses, semisses, &c. quarum centesimæ assis locum obtinent, ad eamque speciem reliquæ vsuræ rediguntur. Centesimæ sunt, quæ ex centenis nummis duodenos quotannis reddunt: Sic appellatæ, quod earum quantitas menstrua (quia in singulos menses, qui in anno duodecim sunt, 30.

vsuræ

vſuræ olim concipi ſolebant) centeſima pars ſit ſortis. *d.l.eos l.4.ff.de nautico fœnore, & l.fin.§.fin. ff.de iure dotium.* Beſſes, quando in centum præſtantur octo annua. *d.l.eos.* Semiſſes vſuræ, dimidiæ centeſimæ ſunt; nempe,cum pro centum in ſingulos annos ſex penduntur. *ead.lege eos.& l.alumnæ 30.ff.de adimēdis legatis.* Sunt & vſuræ quincunces; quæ quintam centeſimæ reddunt,videlicet, quinque pro centum. *l.15 ff.de adimendis legatis.l.17.ff.de vſuris.* Trientes,cum quatuor in centum penduntur. *l.7.§.quæ autem ff.de adminiſtratione tutorum.l.3.in fine.ff.ad l.falcid.* Quadrantes,cum tres quotannis ſoluuntur. *l.21.§.largius ff. de annuis & menſt.legatis.* Septunces, cum ſeptem, Dodrantes,cum nouem; Dextantes, cum decem in centum præſtantur, ita tamen vt quatenus hæ in ſpecie ſua excedunt, reuocentur ad modum à Iuſtiniano præſcriptum *in d.l.eos.§.1.*

31. De his igitur vſuris quæſitum eſt,an poſteriore iure per Iuſtinianum abrogatæ ſint? Dubitationem mouet, quod ipſe Iuſtinianus *Nouel. 131.de Eccleſiaſticis titulis*, aperte ſanciuerit; ſacras Eccleſiaſticas regulas, quæ à quatuor Concilijs; puta Niceno, Conſtantinopolitano,Epheſino, & Chalcedonenſi, editæ ſunt; obtinere vicem legum. At in Concilio Niceno expreſſe interdictæ ſunt vſuræ.*c.quoniam,diſtinct.47.* Atque hanc ſententiam communiter receptam eſſe teſtatur Panormitanus. *in c.cum ſit. numero 18.ext. de foro competenti*: à qua tamen ipſe diſſentit, exiſti-

existimans, vsuras non ideo planè sublatas esse per Iustinianum; cum Concilium Nicenum tantum de clericis loquatur; & idcirco ad laicos non pertineat. Deinde ex d. Iustiniani Nouell. 131. §. *si autem distulerint*, constat certo modo vsuras permissas esse.

Præterea extat & Nouell. 130. *de vsuris nauticis*; qua admittuntur nauticæ vsuræ. Ita, quod verisimile non sit, vsuras fuisse sublatas per Iustinianum. Et hanc quoque sententiam sequitur & tuetur Didacus Couarruuias *variarum resolutionum libro tertio, capite primo, numero 6.* Sed quid his immoramur; cum ante à nobis demõstratum sit, iure diuino vsuras esse plane interdictas, & eius etiam auctoritate ex præscripto iuris Canonici; tum & ex posteriorum Imperatorum constitutionibus, videlicet Maximiliani primi, Anno M.D. Caroli V. Anno M. D. XLVIII. & moderni Imperatoris Rudolphi II. Vt videre est inf. ad calcem huius tractatus.

CAPVT II.

Vsuras, ne quidem pietatis caussa permissas esse, & an debitor vsuras recte paciscatur vel soluat.

Summaria.

1. *Recitatur textus in c. super eo. ext. de vsuris.*

2. *Cuius*

2. *Cuius ratio redditur.*
3. *Mendacium vt nociuum.*
4. *Debitor, an licitè vsuras soluat, aut de eis paciscatur.*
5. *Rationes dubitandi.*
6. *Rationes decidendi.*
7. *D. Thomæ & aliorum sententia de debitore vsurario.*
8. *Solutio argument.*

Alexander III. Panormitano Archiepiscopo.

1. *ext. in c. 4. ext. de vsuris.*

SVper eo vero, & infra. Respondemus; quod cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum scriptura prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur.

2. Hac igitur Decretali vsuræ adeo interdicuntur, licet in piam causam destinatæ sint: puta, in redemptionem captiuorum vel in alimenta pauperum. Idque propter prohibitionem vtriusque Testa-

Teſtamenti, cuius ſuperiore capite meminimus. *numero* 16. Quod vltra, hoc textu confirmatur, argumento ducto à mendacio ad vſuras, tanquam à minore ad maius, quod vtroque iure receptiſſimum eſt, *c. cum in cunctis. 7. in princ. ext. de electione in l. fin & ibi Gl. C. qui ætate vel profeßione. lib.* 10. *l. cum ſoluta* 5. *C. de condict. indebiti*, & *l. ſi quando* 15. *C. de teſtibus, cum ſimilibus.*

Videtur autem ſummus Pontifex hîc reſpexiſſe quo ad mendacium, ad illud Sapientiæ, 1. cap. *Os quod mentitur occidit animam.* De quo ita quoque Auguſtinus *in libro de mendacio, capit. ſexto, vt refert Gratianus in Decreto ſuo c. ſi quis ad te confugiat* 22. *q.* 2. *Si quis*, inquiens, *ad te confugiat qui mendacio tuo poßit à morte liberari, non es mentiturus; os enim quod mentitur occidit animam,* & infra, *cum ergo mentiendo vita æterna amittitur, nunquam pro cuiuſquam vita temporali mentiendum eſt.* Et quo ad vſuras, & alias res illicitè acquiſitas, extat textus alter in c. 27. non eſt putanda: 1. q. 1. *Non eſt putanda eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quaſi bene diſpenſet, grauatur potius quam iuuatur.* At vſura ſpecies rapinæ eſt. *c. ſi quis vſuram.* 14. *q.* 4. 3.

Vt hinc grauiſſimè errent qui vſuras ſub prætextu intereſſe (quod falſo obtendunt) ideo audacter exercent, quod in alimenta pauperum eas deſtinauerint, quos aperte hîc redarguit textus noſter, qui ne quidem mentiri vult pro conſeruanda vita proximi, multo minus vt eo nomine vſuræ capiantur.

Digitized by Google

4. Ceterum quæstionis est, an debitor pro pecunia mutuo accepta licitè vsuras soluat, aut de ijs soluendis paciscatur?

5. Quod vix videtur ex duplici ratione; vna desumpta ex epistola D. Pauli *ad Romanos cap.1.* vbi non tantū digni morte censentur qui faciunt peccata, sed & qui consentiunt facientibus. Non autem dubium est, debitorem vsuras soluendo aut paciscendo consentire in ipsas vsuras: cum omnis contractus siue conuentio, consensu vtriusque partis constet, *l.1.§.1.ff. de pactis.* Altera est, quod debitor recipiendo pecuniam mutuo in vsuras, occasionem præbeat fœnerandi, & consequēter peccet; vt enim nihil interest occidat quis an causam mortis præbeat, vt inquit Vlpianus in *l.nihil interest.15.ff.ad legem Corneliam de sicarijs.* ita & hoc casu nihil interesse videtur vsurā quis per se exerceat, an alteri causam fœnerandi præstet. Idem in eo dicitur, qui damni occasionem dat, vt & hic damnum dedisse censeatur, *l.qui occidit 30.§. & in hac quoque actione ff.ad legem Aquiliam, & c. fin. in fine.ext.de iniurijs.* Idem ergo & in præsenti quæstione iuris videtur.

6. Quibus tamen non obstantibus, verius est debitorem licitè & absq; peccato posse mutuam pecuniam accipere sub vsuris *per textum in c.debitores 6.ext.de iureiurando.* Quo loco debitoris obligatio de vsuris soluendis iureiurādo confirmatur. At si ea obligatio peccatum contineret, iureiurādo confirmari non posset, propter iuris regulam:

Non

Non est obligatoriũ contra bonos mores præstitum iuramentum, *c. non est obligatorium. 58. de reg. iur. in 6. & Auth. quod eis permittitur C. de nuptijs.*

Quæ sententia & D. Thom. placet *in 2. 2. q. 78. art. 4. in respons.* Vbi diserte asserit, quod quãuis inducere hominem ad mutuandum sub vsuris, permissum non sit, quia esset inuitare ad peccatum; posse tamen quẽ licitè ab eo qui in id paratus est & vsuras exercet, mutuum sub vsuris sumere cõsulendæ necessitatis suæ vel alienæ causa. Cui subscribit, & Dominicus Soto, *de iustitia & iure lib. 6. quæst. 1. art. 2.* Vbi & in quæstionem vocat, an sine vlla necessitate idem quis facere possit? quod plane putat; cum vnicuique permissum sit citra peccatum mortale sua profundere. facit text. *in l. sed & si lege 28. §. consuluit ff. de petitione hereditatis.* Addit tamen Soto, nisi circumstantia aliqua concurreret, quæ dictaret esse mortale; veluti, si liberi alendi essent ex pecunijs quæ in causam vsurarum profundũtur, vel, si Prælatus nulla necessitate ductus, non posset absque scandalo vsuras promittere. Sed & Martinus Nauarrus *in Manuali cap. 17. num. 262.* putat debitorem excusari, si ipse non sponte sua sed rogatus creditori vsuras promitteret alias non mutuaturo.

7.

Quare non mouet prius argumentum, quia vt recte respõdet D. Thom. *d. art. 4.* is qui pecuniam sub vsuris accipit, non consentit in peccatum vsurarij, sed eo tantummodo vtitur propter mutuationem, quæ in se bona est, quam & mallet debi-

8.

tor potius esse gratuitam, quam vsurariam. Vnde hac in re creditoris vsurarij culpa vertitur, nō debitoris. Peccata vero ex voluntate & proposito metimur, *c. cum voluntate* 54. *extra. de sententia excōmunicationis, & l. qui iniuriæ* 55. *in princ. ff. de furtis.* Quod latius persequitur Soto *iam dicto loco.* Ad alterum argumentum quod attinet, negandum est debitorem præbere occasionem fœnerādi, sed tantum mutuandi, cui ex malitia & lucrandi studio à creditore vsura adijcitur. Sicut & idem D. Thomas explicat *d. art. 4. ad secundum.*

CAPVT III.

Vsuram committi etiam in emptione & venditione circa pretium.

Summaria.

1. *Recitantur textus in c. in ciuitate, & in c. nauiganti (quod est vltimum) ext. de vsuris.*
2. *Quibus prohibetur res carius vendi, propter dilatam solutionem, nisi &c.*
3. *An huiusmodi venditio prohibita in totū vitietur.*
4. *Quid ex parte emptoris, si is vilius emat ob præsentem solutionem?*

Alexander Tertius Genuensi Archiepiscopo.

1. *est cap. 6. ext. de vsur.*

IN ciuitate tua dicis sæpe contingere, quod quidam piper seu cinnamomū, seu

ſeu alias merces comparant, quæ tunc vltra quinque libras non valent, & promittunt ſe illis à quibus illas merces accipiunt ſex libras ſtatuto tempore ſoluturos; licet autem contractus huiuſmodi ex tali forma non poſſet cenſeri nomine vſurarum: nihilominus tamen, venditores peccatum incurrunt; niſi dubium ſit merces illas plus minuſue ſolutionis tempore valituras. Et ideo ciues tui, ſaluti ſuæ benè conſulerent, ſi à tali contractu ceſſarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

Gregorius IX. fratri R.

NAuiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. Ille quoque qui dat decem ſolidos vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant,

1. *Extat in c. vlt. ext. de vſuris.*

Digitized by Google

vtrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur: non debet ex hoc vsurarius reputari. Ratione huius dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, vel alias merces vendit; vt amplius quã tunc valeant in certo termino recipiat pro eisdem: Si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

2. Hæ duæ decretales eiusdem sunt argumenti: nisi quod posterior in initio præmittat de fœnore nautico siue terrestri, de quo infra capite sequenti. Quare sententia vtriusque hæc est: Quod venditor pluris rem vendens ob dilatam solutionem peccet. Hîc igitur perstringuntur venditores qui merces suas carius æstimatione sua, distrahunt ob solutionem in longius tempus reiectam. Mercium vero nomine mobiles res continentur. *l. mercis 66. ff. de verborum significat.* Nihilominus & ad res immobiles venditas hoc interdictũ pertinet, vt rectè Salycetus censet, in Authent. Adhæc. num. 8. C. de vsuris, contra Baldum asserentem in rebus tantummodo fungibilibus, hoc est, quæ pondere, vel mensura constant committi vsuram; non vero, si domus vel aliud prædium vendatur. Nec enim res quæ venditur, inquit Salycet. in cõsiderationem venit, sed pretium eius quod ob dilatam solutionem auctius, quam contractus tempore

tempore valet, cõstituitur; ac proinde in eo quod iustum ꝑretiũ excedit, vsura est. Idem Berous *in d. c. in ciuitate*, circa princ.

Nec huic refragatur, quod vsura propriè in mutuo committitur, non in ceteris contractibus: quia hoc verum est, quo ad formam contractus; non vero quo ad mentem contrahentium quæ in contractibus semper præponderat, *l. insulam 6. ff. de præscriptis verbis. & tit. C. plus valere quod agitur quam quod simulatè concipitur, c. per tuas 12. ext. qui filij sint legitimi. Panorm. in d. c. in ciuitate num. 2. Berous & Ananias n. 1.* quasi breui manu precio recepto venditor, idem pretium sub vsuris credidisset emptori. *arg. l singularia 15. ff. si certum petatur.* Cuius etiam supra cap. 1. meminimus.

Proinde verba d. c. in ciuitate. *venditores peccatum incurrunt.* non simpliciter exaudienda sunt de peccato, sed de peccato vsurario, ex sententia Hostiensis & Panormitani *ibidem*, quam & communiter receptã testatur Salycetus, *d. loco. idem docet D. Thomas in 2. 2. q. 78. art. 2. ad septimum, & satis indicat tex in c. consuluit 10. ext. eod. tit.*

Sed controuersum est, an huiusmodi contractus vẽditionis totus ipso iure infirmetur, an potius ad iustum precium reuocandus sit? Quod certe vix videtur, propter defectum consensus in venditore, qui alias rem non erat minoris venditurus. At contractus non excedunt mentem contrahentium *l. non omnis 19. ff. si certum petatur, & l. non solum 30. ff. de obligat. & actionib.* E contra, 3.

 verius

verius puto cōtractum valere & redigendum esse ad æqualitatem, detracto excessu, propter iuris regulam: *vtile nō debet per inutile vitiari, c. vtile. de regulis iuris lib. 6.* & quod eleganter responderunt *Martianus in l. placuit 29. & Papinianus in l. pecuniæ. 9. ff. de vsuris.* de illegitimis vsuris permistis cum legitimis, quod sustineantur quidem legitimæ, sed illegitimæ tanquam superfluæ reijciantur. Simile est in donatione, quæ licet legitimum modum quingentorum solidorum excedens, absque insinuatione non valeat, non tamen tota vitiatur, sed tantūmodo in eo quod est supra quingentos solidos. *l. sancimus 34. iuncta l. penult. C. de donat.* Igitur venditio carius facta nō in totum infirmatur, sed quod est vltra iustum pretium subtrahitur.

Nec mouet quod in maius pretium consensum sit; nam cum in maiori summa insit & minor, rectè dicitur & in minorem summam, qua verum pretium continetur consensum fuisse, *l. 1. §. si stipulanti. ff. de verb. obligat. & l. rogatus 33. ff. si certum petatur,* vbi in fideiussore qui de maiore summa rogatus in minorem fideiussit, pulchre respondetur in minore summa consistere fideiussionem. Quibus consequens est, quod venditor recipiendo postea solutionem maioris pretij, teneatur ad restitutionem eius, quod vltra iustum pretium est, *d. c. consuluit.*

4. Eadem obseruanda sunt & ex parte emptoris, vt si is ideo rem minoris emit, quod præsentem pecuniam venditori annumeret. Cum & hic in

vsuram incidat, teneaturque quod deest iustæ æstimationi, supplere venditori; ob eandem rationem quam in venditore diximus: siquidem is v.g. qui ob præsentem vel anticipatam solutionem rem valentem duodecim emit decem, in effectu videtur mutuare venditori precium quod numerat, & id quod iusto pretio deest sibi reseruare in vicem lucri, quod profecto nihil aliud est, quam vsura. *Nauarr. in manuali c.17.n.206. & 227.*

Atque hęc quę de venditore diximus rem pluris iusto pretio vendente ob dilatam solutionem. restringenda sunt: nisi verisimiliter dubitetur, res quæ vendita est, pluris vel minoris valitura sit tempore solutionis, nec venditor erat eam venditurus ante diem solutionis. His enim duabus conditionibus concurrentibus licita est hæc venditio, non vsuraria, *textus est in d.c. cum in ciuitate. & in d.c. nauigandi. extra. de vsuris.* Prior siquidem conditio licitam reddit hanc conuentionem propter dubium euentum auctioris vel diminutioris precij, qui vtrique & venditori & emptori emolumento vel damno esse potest tempore solutionis. argum. eorum quæ de iactu retis & futuris fructibus agri respondit Pompon. I Ctus, quorum emptio ideo sustinetur quod eorum prouētus amplissimus accidere potest vel infimus. *l. nec emptio. 8. ff. de contrah. em.* Vnde etiam fit, vt econtrà illicita sit conuentio, qua res venditur precio quo pluris valitura est à tempore contractus vsq; ad mensem Maij vel Iulij, quia hæc cōditio certa

est nullumq; incommodum adferre potest venditori. Posteriorem vero conditionem requirit glossa *in dict. c. in ciuitate.* communiter recepta, & probatur expresse *in d. ca. nauiganti. in vers. ratione huius dubij.* Et licet *in d.c. in ciuitate.* prior tantum conditio contineatur, recte tamen posterior additur ex *d c. nauiganti.* quemadmodum frequentissimo omnium consensu receptum testatur Couarr. *var. resol. lib. 2. c. 3. n. 6. vers. ceterum, quem ibid. vide latius.*

Sed & ex parte emptoris toleratur emptio vilioris precij, quam res est tempore contractus, si certa eius æstimatio reijciatur in futurum tempus, puta ad proximas Kalend. Septembr. quibus incertum erit, res quanti valitura est; ob eandem rationem, & propter naturam correlatiuorum, in quibus quod in vno dispositum est recte trahitur ad alterum correlatiuorum. *arg l. fi. C. de indicta viduitate. & l. 1. C. de cupressis lib.* 11.

Iustum vero precium non ex affectu cuiuslibet sed ex communi hominum æstimatione metimur, *l precia rerum. 63. ff. ad l falcid.* Quo fit, vt in hac re non attendatur quanti res ante empta fuerit à venditore aut quibus impensis vel laboribus comparata sit, sed communis illius loci vbi iterum res venditur æstimatio inspicitur eoque precium eius redigendum est. *d. l. precia rerum.* veluti si quis ex Germania merces transuehat in Hispaniam magnis suis expensis, non potest eas carius diuendere quam valent in Hispania; alioquin

quin quod est vltra iustum loci precium venditor tenetur restituere emptori, sicut ex sententia Cõradi tradit Couarruuias *variar. resol. lib. 2. c. 3. n. 4. vers. secundo & vers. tertio, & fac. text. in c. 1. extr. de empt. & vendit.* Vide latius Nauarrum in Manuali c. 17. n. 227. cum seq. & Binsfeldium in c. in ciuitate. q. 3. & 4. ext. de vsuris.

CAPVT IV.

De fœnore nautico & terreno. Item de olla fortunæ.

Summaria.

1. *Vtrum creditor possit paciſci fœnus nauticum vel terrenum. & n. 2.*
3. *Ratio decidendi, quod non.*
4. *De pacto siue conuentione assecurationis.*
5. *Interpretatio c. fin. ext. de vsuris.*
6. *Fœnus nauticum non plane sublatum esse per ius Canonicum.*
7. *Fideiussor, an possit paciſci mercedem cum debitore principali.*
8. *De olla fortunæ, quam Itali vocant lotto.*
9. *Vsus alearum quare is prohibitus.*
10. *Explicatio c. per vestras. extr. de donationibus inter virum & vxorem.*

QVæsitum est, an creditor stipulari vel paciſci possit vltra sortem sibi solui, quod pericu- 1.

lum

lum mutuatæ pecuniæ & per mare traijciendæ in se suscipiat? Et posse constat ex concessione iuris ciuilis.*tot.tit.ff. & C.de nautico fœnore.* Eadem est quæstio & responsio de mercibus ex mutua pecunia comparatis, si vel hæ periculo creditoris transuehantur & eo nomine additamentum constitutum sit inter creditorem & debitorem. *l.1.in fine.ff.d.tit.*

Quod additamentum, nauticæ vsuræ vel fœnus nauticum appellatur. Idem iuris est de mutua pecunia periculo creditoris transferenda per loca insidiosa, quod terrestre vel terrenum fœnus dicitur: Periculum autem hîc intellige, quod fortuito casu contingit non culpa debitoris. *l.5. Cod. de nautico fœnore.*

2. Sed illud magis quæsitum est, an illud additamentum licet iure ciuili permissum, vt iam dictum est, de iure Canonico subsistat, propter sententiam Christi, *mutuum date nihil inde sperantes. Lucæ 6. cap. quod repetitur in capit. consuluit* 10. *extra. de vsuris. & textum in cap.* 1. *cum sequentib.*14. *quæst.3?* Difficultatem mouet, quod propter dubium euentum additamenta à sacris Canonibus in mutuo permissa sint.*c.fin.§.1.ext.de vsuris.* cuius memini *sup.c.proxi.* qui euentus dubius in fœnore nautico potissimum spectatur, sicut & in terreno. At rectius contrarium obtinuit *in d.ca fin.in princip.* quod vtroque casu tam in nautico quam in terreno fœnore, iure canonum vsura committatur, & consequenter fœnus hoc interdictum

sit.

sit.verba *d.c.fin.* hîc placet repetere: *Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* Et ratio est, quod debitor ratione mutui obligetur ad aliquid pretio æstimabile præstandum creditori *contra dictam sententiam Christi, & iura ante allegata.*

3.

Nec mouet, dubius cursus nauis, vel pericula latronum itineribus insidentium; quia hæc extra rem sunt. At in mercibus venalibus, quæ quia quodammodo natura sua quotidie æstimationem suam mutant, nunc accresendo nunc decrescendo; ac proinde tempore solutionis creditori vel debitori, emolumento vel damno sunt; idcirco additamentum vltra sortem, propter hunc incertum euentum, sustinetur ex *d.c.fi.* §.1.

Ceterum hic contenditur, an hæc conuentio, quam vulgo assecurationem vocamus, indistincte prohibita sit *ex d.c.fin.in princ?* Et passim obtinuit eam non prohiberi vbi prospectu solius assecurationis ea interposita est, vt videre est apud *Petrum Binsfeldium in d. c.fi.extr.de vsuris. Didacum Couarruuiam lib.3.variar.resolut. ca.2.nu.5. & apud Syluestrum in summa. verb. negotium. n.4.* Ideoque *d.cap.fin.* sententia à nobis altius expendenda est.

4.

Et quidem video hoc cap. varie accipi; Primo, quod eius decisio ea specie loquatur, vbi periculum verisimile non apparet, sed solummodo obtenditur, vt hoc quæsito colore creditor aliquid lucri

5.

lucri captet. Verum hanc interpretationem merito reijcit Couarruuias *dict. num.* 5. *vers. primum equidem*. ex eo quod maxima immineant nauigantibus pericula, & res quæ per mare transuehuntur pluribus incommodis subiaceant, vt diserte meminit idem textus in verb. *periculum*. Altera interpretatio est, quando precium periculi suscepti iniustum est, hoc est, excedit eius æstimationem, non si adæquet. Quam interpretationem Couarr. tribuit Hadriano, eamq; similiter improbat, sed minime vrgentibus rationibus. Interim non conuenit, *& d. c. fi. in pr.* cum mera coniectura nitatur. Tertia interpretatio eaq; verior videtur, quod decisio eiusdem *c. fi. in prin.* tunc locum habeat, vbi nauiganti seu eunti ad nundinas ea lege & non aliter mutuatur pecunia, quam vt & simul periculum eius creditor in se suscipiat lucri alicuius causa. Quippe hæc conuentio vsuraria est principaliter & immediate prouenienss ratione mutui; non vero, si libere id fiat debitorque sponte cum creditore conueniat de periculo mutuatæ pecuniæ in se recipiendo, certa in id mercede constituta; quo casu licitam esse eam conuentionem asserunt, *Florent. Conradus, Ioann. Maior. Syluester, Caietanus, alijque Theologi, vt testatur Didac. Couarruuias. dict. nu.* 5. *vers. secundo textus. quos & ipse Couarruuias ibidem sequitur. Idem probat Martinus Nauarrus in Manuali cap.* 17. *n.* 122. dum hic vult, mutuantem ei qui ex Hispanijs in Flandriam proficiscitur pacto interposito asse-

curatio-

curationis iustoque licet pretio, peccare contra *c. nauiganti. quod est d. c fin. de quo hactenus disputamus.* secus vero, si libere id fecerit & postea conuenerit de pretio assecurationis, quia id non ex mutuo (inquit) sed ex assecuratione lucratur; confirmatque id auctoritatibus Caietani, Ioann. Maioris, & S Anthonini.

Quæ eadem retinenda sunt in mercibus ex pecunia mutua comparatis, siue eæ per mare siue per terram itinere periculoso transferantur: cum eadem subsit ratio, ergo & idem ius, *vulgata l. illud.* § 2. *ff. ad l. Aquiliam.*

Sed quid si merces non ex mutuo, sed aliunde sint comparatæ? puto eandem conuentionem valere, dummodo iusta sit suscepti periculi æstimatio. *Couar. d. n.* 5. *in fin.*

6. Ex quibus consequens est, nauticum fœnus siue vsuras nauticas à iure ciuili permissas, non sublatas esse per ius Canonicum, eo modo quo iam explicauimus.

7. Vnde & facile soluitur hæc quæstio, an fideiussor possit pacisci siue stipulari à debitore mercedem aliquam pro ipsa fideiussione? Et certius est, posse ratione periculi quod ipsi imminet: cum forsan pro ipso debitore cogetur soluere, vt passim accidit: ac proinde iustum boni viri arbitrio precium propter periculum potest pacisci & recipere. Et probat tex. *in l. hoc iure.* 19. §. *Labeo. ff. de donationibus. & in l. si remunerandi.* 6. §. *Mæuius ff. mandati. & per eosdem textus Did. Couar. var. resol. lib.*

lib.3.c.2.n.6. vbi & communem hanc opinionem esse testatur: dum tamen ex qualitate & conditione debitoris subsit periculum; alioquin si certa sit debitoris solutio, non putat hoc pactum licitum esse tanquam ficto & simulato periculo initum in fraudem vsurarum. Nam vt creditor pro officio mutui nihil potest exigere à debitore; sic nec fideiussor pro officio fideiussionis; imo multo minus, quia hic minus officij impendit. *Vide latius Couarruu.*

8. Occurrit hic alia quæstio mota à Petro Binsfeldio *in d. c. fin. de vsuris*, de olla fortunæ. Quando scilicet, à pluribus collata pecunia, scedulæ singulorum nomine inscriptæ in communem ollam vel aliud vas conijciuntur, & deinde sigillatim expromuntur ea spe, vt cui sors obtigerit cedat ei lucro res quædam magni pretij. Hic igitur quæstionis est, an ea collatio pecuniæ iusta sit sub spe lucri? Prima fronte videtur, eam iure defendi non posse: ideo quod assimuletur lusui alearum, qui damnatus est. *l fin. C. de religiosis & sumptibus fu. & toto tit ff. de aleatoribus.* Deinde nulla est æqualitas inter pecuniam collatam & lucrumquod ex olla capitur. At vero contractus æquales vtrinque esse conuenit, vt iustitia commutatiua in commercijs hominum conseruetur. Quibus tamen non obstantibus, recte apud plerasque nationes receptus est vsus ollæ. Nam si per se turpis esset, potissimum ex eo eueniret, quod res tota ex dubio euentu pendeat. At dubius euentus non

facit

facit rem illicitam; quæ alioquin per se licita est, vt ante comprobauimus. Et recte faciunt, qui hunc contractum reuocant ad contractum emptionis & venditionis, in quo spei lucrosæ emptio permissa est; veluti in iactu retis, in tractu auium. *l. nec emptio.* 8. *§. aliquando tamen. ff. de cont. empti. & l. si iactum retis.* 12. *ff. de action. empti.* Nam & harum rerum veram esse emptionem satis ostendunt ea, quæ perficiunt emptionis contractum: videlicet, precium, merx siue res, quæ venit, & consensus. *d. l. nec emptio. cum l. seq.* precium, est pecunia quæ confertur, merx spes fortunati euentus; consensus ipsa conuentio expressa vel tacita, quæ inter conferentem & ollarium, id est, ollæ huius auctorem, intercedit.

9. Neque impedit quod de vsu alearum ante dictum est: Cum in eo longe alia ratio subsit cur is à iure singulariter interdictus sit. Nempe, quod in eo committantur blasphemiæ, diu noctuq; exerceatur, & lusores rebus suis facile exuantur. *d. l. fi.* Et quod ad inæqualitatem attinet, ea nihil officit huic contractui, cum eam non metiamur ex pecunia collata cum lucro, quod inde forte prouenit, sed cum ipsa spe lucri quę cum omnino dubia sit, sustinetur instar emptionis iactus retis, vel tractus auium.

10. Restat postremo textus *in c. per vestras.* 7. *vers. eum autem. ex. de donat. inter virum. & vxor.* qui hic explicandus est, eo quod à crimine vsurarum vix excusari posse videatur. Verba textus prius audia-

mus: *Cum ergo poßit ei modicum credi dotis cui creditum est corpus vxoris: Mandamus quatenus dotem aßignari faciatis eidem sub ea quam potest cautione præstare, vel alicui mercatori committi, vt de parte honesti lucri dictus vir onera poßit matrimonij sustentare.* Similis vero text. est *in l. si cum dotem. 22. §. si autem in sæuißimo. ff. solut. matrim.* Hoc igitur rescriptum valde torquet Dd. nostros quomodo tradi possit mercatori dos cum participatione lucri, manente nihilominus ea salua? Quare sunt, qui id singulari iure statutum existimant in fauorem dotis. Sed male, cum ne quidem pro redimẽdis captiuis fœnerari permissum sit. *ca. super eo. 4. extra. de vsuris.* Glos. vero *in verbis honesti lucri.* interpretatur honestum lucrum, quod sine fœnore ex societate vel alio honesto commercio quæritur. Idem Hostien. Ioan. Andr. & Panorm. *ibidem.* Sed tunc alia quæstio exurgit, quodnam honestũ lucrum ex societate accipiendum est? Hoc nimirum, vt maritus pecuniam dotalem conferat & mercator operas suas; & tamen vtriq; commune lucrum sit, vel pro parte. Idem est, & si ipse mercator pecuniam quoq; suam in eandem societatem conferat vna cum operis suis. Nam vtroque casu honestum lucrum est. *tit. Inst. de societate. in pr. & § seq. & l. si non fuerint. 29. ff. pro socio.* At si ita inita fuerit societas, vt solus maritus lucrum capiat, & mercator non nisi damnum sentiat, improbata & non nisi leonina societas esset. *d. l. si non fuerint. §. Aristo.* idem existimat Panormitanus

in d.

in d. c. per tuas. n. 8. ea specie, qua quis deponens apud mercatorem pecuniam paciscitur eam sibi saluam fore, vt tamen de lucro eius participet: Nam & hoc illicitum pactum est; cum fieri possit, vt mercator præter operas & impensas suas amissas, ad resarciendam dotem, si qua ex parte læsa est, conueniatur. Neque obstat textus *in dict. ca. per vestras*, quia licet is dotem marito consignandam esse iubeat si cauere possit dotem saluam fore, vel saltem tradendam mercatori cum spe alicuius lucri honesti, non tamen addit textus id fieri oportere salua manente dote. Nam idem non repetit in mercatore quod antea in marito. sicut recte quoque animaduertit Panormitan. *ibidem, n.* 8. Tametsi ab hac interpretatione dissentiat Nauarrus in *Manuali. cap. 17. num. 256. cum seq.* dum vult non aliam fuisse mentem Innocentij 3. *in dict. cap. per vestras.* quam vt dos integra & salua apud mercatorem maneret. Nam ob id mandat eam à marito auferri, ne si simul ad lucrum & ad damnum dos mercatori credatur, ea periculo amissionis subijciatur. Addit præterea, Innocentium voluisse, vt certa aliqua lucri pars spectaret ad maritum pro matrimonij oneribus sustinendis: Sed cum iniquum sit, ea saltem specie, qua mercator operas & impensas suas perdit, salua nihilominus dote; putat Martin. Nauarrus id non aliter posse fieri, quam cum pacto assecurationis, & lucri incerti pro certo, redemptione, velut ex. g. si pro duodecim quæ

mus:*Cum ergo poßit ei modicum credi dotis cui creditum est corpus vxoris: Mandamus quatenus dotem aßignari faciatis eidem sub ea quam potest cautione præstare, vel alicui mercatori committi, vt de parte honesti lucri dictus vir onera poßit matrimonij sustentare.* Similis vero text. est *in l. si cum dotem. 22. §. si autem in sæuißimo. ff. solut. matrim.* Hoc igitur rescriptum valde torquet Dd. nostros quomodo tradi possit mercatori dos cum participatione lucri, manente nihilominus ea salua? Quare sunt, qui id singulari iure statutum existimant in fauorem dotis. Sed male, cum ne quidem pro redimēdis captiuis fœnerari permissum sit. *ca. super eo. 4. extra. de vsuris.* Glos. vero *in verbis honesti lucri.* interpretatur honestum lucrum, quod sine fœnore ex societate vel alio honesto commercio quæritur. Idem Hostien. Ioan. Andr. & Panorm. *ibidem.* Sed tunc alia quæstio exurgit, quodnam honestū lucrum ex societate accipiendum est? Hoc nimirum, vt maritus pecuniam dotalem conferat & mercator operas suas; & tamen vtriq; commune lucrum sit, vel pro parte. Idem est, & si ipse mercator pecuniam quoq; suam in eandem societatem conferat vna cum operis suis. Nam vtroque casu honestum lucrum est. *tit. Inst. de societate. in pr. & § seq. & l. si non fuerint. 29. ff. pro socio.* At si ita inita fuerit societas, vt solus maritus lucrum capiat, & mercator non nisi damnum sentiat, improbata & non nisi leonina societas esset. *d. l. si non fuerint. §. Aristo.* idem existimat Panormitanus

in d.

in d.c.per tuas.n.8. ea specie, qua quis deponens apud mercatorem pecuniam paciscitur eam sibi saluam fore, vt tamen de lucro eius participet: Nam & hoc illicitum pactum est; cum fieri possit, vt mercator præter operas & impensas suas amissas, ad resarciendam dotem, si qua ex parte læsa est, conueniatur. Neque obstat textus *in dict.ca.per vestras*, quia licet is dotem marito consignandam esse iubeat si cauere possit dotem saluam fore, vel saltem tradendam mercatori cum spe alicuius lucri honesti, non tamen addit textus id fieri oportere salua manente dote. Nam idem non repetit in mercatore quod antea in marito. sicut recte quoque animaduertit Panormitan.*ibidem.n.*8. Tametsi ab hac interpretatione dissentiat Nauarrus in *Manuali.cap.*17.*num.* 256.*cum seq.* dum vult non aliam fuisse mentem Innocentij 3. *in dict. cap. per vestras.* quam vt dos integra & salua apud mercatorem maneret. Nam ob id mandat eam à marito auferri, ne si simul ad lucrum & ad damnum dos mercatori credatur, ea periculo amissionis subijciatur. Addit præterea, Innocentium voluisse, vt certa aliqua lucri pars spectaret ad maritum pro matrimonij oneribus sustinendis: Sed cum iniquum sit, ea saltem specie, qua mercator operas & impensas suas perdit, salua nihilominus dote; putat Martin. Nauarrus id non aliter posse fieri, quam cum pacto assecurationis, & lucri incerti pro certo, redemptione, velut ex.g. si pro duodecim quæ

alioqui verisimiliter ex commercio pecuniæ sperabantur quatuor certo promittantur. De assecurationis pacto id facile crediderim, item de lucro certo pro remissione magni & verisimilis lucri. Ex ijs quæ ante dicta sunt. At neutrum conuenit textui *in d. c. per vestras.* qui simpliciter vult debere consignari dotem mercatori, in eum finem, vt partem honesti lucri inde maritus percipiat. Itaque prior sententia magis accommodata est. *d. c. per vestras.*

Capvt V.

De vsu pignoris & pacto antichreseos.

Summaria.

1. *De prohibita antichresi, tres decretales, quæ hic recitantur.*
2. *Fructus rei pignoratæ in diminutionem sortis referendos esse.*
3. *Facti species.*
4. *Ratio decisionis.*
5. *Furti crimine obstringitur creditor re mobili pignorata vtens, de re immobili n. 6.*
7. *Fructus pignoris, quomodo in compensationem veniant.*
8. *Fructus, vt intelligantur.*

9. Cre-

9. *Creditor ob expensas in rem factas retentionem habet vel repetitionem,*
10. *De pacto antichreseos.*
11. *Antichriseos pactum de lucrandis fructibus, pignori accedit.*
12. *An illud licitum sit, varie contenditur cum num. seqq.*
15. *Illicitum esse probatur. & n.16. & 17.*
18. *Rationes contrariæ refutatæ.*
19. *Zasij & aliorum opiniones refutatæ cum nu. seqq.*
28. *Binsfeldij opinio improbata. & n.29.*
29. *Certa conclusio, antichresim illicitam esse.*
30. *Cautio, ne incurramus antichresim, videlicet per emptionem & venditionem.*
31. *Corasij iudicium de l. 2. Cod. de pactis inter emptorem.*
32. *Declaratio c. ad nostram. ext. de emptione.*
33. *Fred. Martini explicatio non admissa.*
34. *Declaratio c. illo vos. ext. de pignorib.*
35. *Soluuntur alia argumenta.*

Alexander III. in Concilio Turonensi.

PLures clericorum, & infra. Generalis Concilij decreuit auctoritas: vt nullus constitutus in clero, vel hoc vel aliud genus vsuræ exercere præsumat.

extat in c. 1. ext. de vsuris.

 Etsi

Etsi quis alicuius possessionem data pecunia sub hac specie (vel conditione) in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus iam perceperit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto, possessio libere ad dominum reuertatur. Quod si post huiusmodi constitutum, in clero quisquam extiterit qui detestandis vsurarum lucris insistat, ecclesiastici officij periculum patiatur: Nisi forte ecclesiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.

Idem Cantuariensi Archiepiscopo & eius suffraganeis.

Vtat in ca. eut. eod.

QVoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet alijs periculosum est, vsurarum lucris intendere; Auctoritate præsentium duximus iniungendum, vt eos qui de possessionibus, vel arboribus quas tenere in pignore noscuntur, sortem (deductis expẽsis) rece-

receperunt, ad eadem pignora restituenda, sine vsurarum exactione, ecclesiastica districtione compellas.

Idem Abbati & fratribus S. Laurentij.

Conquestus est nobis C. clericus: & infra. Discretioni vestræ mandamus, quatenus si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus eius sortem recepistis; prædictam terram clerico memorato reddatis: nisi terra ipsa de feudo sit monasterij vestri.

tex. est in c. 8. ext. de vsuris.

HAs decretales simul coniunximus quod sint eiusdem argumenti. Interdicitur enim clericis, laicis & monachis, ne vllum genus vsurarum exerceant. Proinde si ex possessionibus, id est, prædijs sibi obligatis iure pignoris, fructus perceperint, eos in exonerationem sortis suæ referre teneantur. Itaque fingamus hanc facti speciem: Titius pecunia mutuo accepta à Sempronio castrum vel aliud prædium vnum vel plura ipsi pignori obligauit; ex quorum fructibus, cum Sempronius tantum percepisset, quod adæquaret ipsam sortem, hoc est, pecuniam mutuo sumptam; institit Titius, vt pignus sibi redderetur;

1. 2. 3.

Sempronio vero creditore id recusante & nihilominus persistente in repetitione mutui. consultus Alexander III. rescribit his Decretalibus, teneri Sempronium creditorem ad restituenda prędia pignori obligata, adeoq; inuitum censura ecclesiastica ad id compellendum esse. Hoc tamen addito, vt si Sempronius creditor ex fructibus nondum sortem integram collegerit; hac specie suppleri eam oportere à Titio priusquam is agere possit ad restitutionem pignorum: expensis fru-

4. ctuum vtroq; casu deductis. Decisionis ratio est, vt si aliter statuatur, quod sc. fructus percepti non imputentur in exonerationem sortis, sed cedant lucro creditoris; res necesse est, in crimen vsurarũ incidat: sicut aperte colligitur ex hac Decretali 1. & 2. Quippe vsura est, quicquid causa mutui creditor lucrifacit, siue id in pecunia numerata, siue in fructibus siue in alia re consistat. *c. 1. cum seqq.* 14. *q.* 3. His enim verbis diserte vtitur text *in d. c. si fœneraueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis à quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit, siue oleum, siue vinum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti exspectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus.* Excipiuntur vero duo casus in d. decretali 1. & in d. c. conquestus, in fi. quibus fructus perceptos lucratur creditor: sed vtrunq; singulari iure, vt inf. ca. sequenti explicabitur.

5. Ceterum hic duplex inspectio incurrit: vna propter

propter responsum Caij IC.ti *in l.si pignore 56.ff. de furtis,repetitum à Iustiniano in § furtum. Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.* quibus locis furti crimine obstringitur creditor, si re pignorata vtatur; quod hîc videtur fieri, si in extenuationem sortis fructus imputandi sint. Altera est, quod fructus ideo non possint cedere in exonerationem sortis; quod solius quantitatis cum quantitate fiat compensatio, *l.si conuenerit vt nomen 18. in princ. ff. de pignoratitia actione. l. grege 13. §. cum pignori. ff. de pignoribus. & l.si constat 4. C. de compensat.* Sed prior difficultas facilè amouetur; siquidem, Caius & Iustinianus indicatis locis loquuntur de re mobili in pignus concessa, qua vti creditor prohibetur; ideo quod solius securitatis causa ipsi tradita sit. At in vsu solo rei alienæ etiam furtum committitur, sicut constat ex definitione furti *in l.1. in fine. ff. de furtis, & in §.1. Institut. iam d. tit.*

Aliud vero receptum est in re immobili (de qua in præsenti agitur) in cuius vsu furtum minime committitur, *§. quod autem vers. abolita Inst. de vsucap.* Sed potius permissum est creditori possidenti, re immobili vti. *l. creditor 23. ff. de pignorib.* imo & ea vti tenetur; alioqui de fructibus alijsque obuentionibus, quas culpa sua non percepit, rectè cõuenitur; sicut, & si deteriorem eam fecerit, *l.1. l.2. l.6. de pignor. actio.* Quod in re immobili vtilitatis causa receptũ est, quæ in eo vertitur, quod prædia rustica per culturam, meliora fiant, *l. non*

6.

intelligitur. 3. §. *diui fratres. ff. de iure fisci.* Vrbana vero prædia, per inhabitationem magis conseruentur. *l. singularum*. 8. *C. de ædificijs priuatis.* Quod hîc adijciendum est ex iure Ciuili, vt non solum percepti fructus, sed etiam qui culpa creditoris percepti non fuerunt, vna cum damno dato in sortem imputentur, *d. l.* 2. *& l.* 6. *C. de pignor. actio.* Nec mirum est, hanc suppletionem ex iure Ciuili ad has Decretales, fieri debere, cum à Doctoribus passim approbata sit hæc regula generalis: quod vbi in iure Canonico aliquid desideratur quod extat in iure Ciuili, id peti debeat ex iure Ciuili, & è contra, *per text. in c.* 1. *&* 2. *ext. de noui operis nuntiatione.* De quo fusius tractatur ab Interpretibus *in c. Ecclesia S. Mariæ. ext. de constit.*

7. Altera difficultas de fructibus in compensationem deducendis ita dissoluitur; quod id fiat rationeæstimationis fructuum. Etenim fructus à creditore percepti, & adhuc extantes nō quidem compensantur cum ipsa forte, sed iure pignoris remanent apud creditorem donec debitum exolutum sit, *l.* 3. *C. in quibus causis pignus vel hypotheca tacitè contrahitur.* Quippe fructus debitoris sunt, etiamsi à creditore sint sati, cum non iure seminis sed soli, fructus percipiantur. *l. qui scit* 25. *ff. de vsuris.* Exceptis tamen, bonæ fidei possessore, colono, vsufructuario & similibus qui ob iustum titulum quem habent, fructus fundi licet alieni, suos rectè faciunt, *d. l. qui scit. l. bonæ fidei.* 48. *ff. de acquir. rerum dominio, & §. si quis à non domino. In-*

stit.

Google

ſtit. de rerum diuiſione. At creditor nullâ alia ex cauſa pignus poſſidet, quam vt ei incumbendo ſecurior ſit de ſuo credito. *§. fin. Inſtitutionum, quibus modis re contrahitur obligat.* Quamuis hoc amplius eſt in pignore rei immobilis, quod creditor eius fructus rectè percipiat & perceptos licite conſumat vel diſtrahat *iuxta text. in d.l. 1. 2. & 6. Cod. de pignoratitia actione, vt & ante dictum eſt.* Ideo, quod fructus ſeruando ſeruari non poſſint, *l. fin. §. fin. Cod. de adminiſtrat. tutorum.* Atque hoc modo fructus conſumpti vel diſtracti, vna cum ijs qui percipi potuerunt & rei deterioratione, in compenſationem ſiue extenuationem ſortis, venire dicuntur; non quidem per ſe, ſed ratione æſtimationis, qua ipſo iure compenſatio inducitur cum ipſa ſorte, vſque ad concurrentem quantitatem. *Ioannes ab Imola in cap. cum contra, numero 1. & 2. extra. de pignoribus. Panormitanus in c. 1. numero. 3. extra. de vſuris*: vti fit & in cæteris rebus extra quantitatem, quæ ſimiliter propter æſtimationem inuicem factam rectè compenſari dicuntur ipſo iure, *§. in bonæ fidei. Inſtit. de actionibus, & l. vlt. C. de compenſationibus.*

8. Vbi tamen obſeruandum eſt, fructus non aliter intelligi, quam qui ſuperſunt deductis expenſis. quæ quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum fructuum gratia factæ ſunt, *per textum in l. ſi à patre vel domino 39. §. fin. ff. de petit. hereditatis.* Et hoc non tantum in propoſito argu-

mento

mento obtinet, sed & in quolibet alio possessore etiam malæ fidei; qualis est prædo, vt scilicet, & ab eo factæ expensæ ex fructibus subducantur, quia naturalis ratio, *inquit d.§.fin.* id postulat. Adde, *& l.fructus 7.ff.soluto matrimonio, & l.1.C.de fructibus & litium expensis.* His igitur expensis subductis, quod reliquum manet ex fructibus consumptis vel distractis, æstimatione facta, in diminutionem sortis redigitur. *iuxta textum nostrum in cap.1. & cap.2. extra de vsuris, in verbis. deductis expensis.*

9\. Quin etiam creditor alias expensas in rem pignoratam, necessario vel vtiliter factas, rectè repetit à debitore, vel retinet rem donec hæ sibi solutæ sint. *l.si necessarias* 8. *l.si seruos 25.ff.de pignorat. actio. & d.l.6.C.eod. eleganter Barthol. in l.si non sortem 26.§.si centum.ff. de condictione indebiti.* Vbi generaliter tradit propter expensas factas in rem, vel aliud debitum contractum propter vtilitatem ipsius rei dari possessori vel detentori, retentionē. *per textum in l.in rebus* 18. *ff.commodati. in l.Paulus* 14. *ff.de doli mali, & metus exceptione, & in l.si in area 33.ff.de condict.indebiti.* Alioquin debitor siue alius ipsius rei dominus has expensas non refundens locupletaretur cum iniuria alterius contra naturalem æquitatem. *l.nam hoc natura.ff de condictione indebiti. & cap.locupletari. de regulis iuris. lib.6.*

Adde, & per viam compensationis cum fructibus alijsque obuentionibus, has expensas, tum etiam interesse damni emergentis vel lucri cessan-

tis,

tis, creditorem consequi, vel retinere posse, vsque ad concurrentem æstimationem; dummodo hæc liquida sint, vt ante monuimus *ex d.§ in bonæ fidei, & d.l.vlt.C.de compensat.* De interesse. vide quæ supra cap.1.scripsimus. Atque hæc exploratissimi iuris sunt, vbi nullum pactum inter debitorem & creditorem intercessit, de lucrandis fructibus per creditorem.

10. At magnæ disputationis est, an idem obtineat in pacto expresse conuento inter creditorem & debitorem, vt tamdiu creditor re oppignorata fruatur, donec debitum exolutum fuerit; quod pactum græcè ἀντίχρησις dicitur, latinè contrarius siue mutuus vsus scilicet, rei in pignus concessæ pro vsu pecuniæ mutuatæ. *Alciat.lib.2. dispunct.c.3.*

11. Atque hanc pactionem quidam vocant contractum antichreseos, *vt And.Gail.lib.2.obseruat.3. num.2.& Mynsing.centuria 6.obseruat.71.* Sed minus rectè: eo quod non sit separatus contractus à cōtractu pignoris, sed pactum adiectum pignori, vt eius fructus interim creditor percipiat & lucretur, donec pignus solutione sortis, liberatum sit. Quod liquet vel ex duplici responso Martiani IC.ti, quorum vnum exstat *in l.si pecuniam 33.ff. de pignorat. actio. Si pecuniam,* inquit, *debitor soluerit potest pignoratitia actione vti ad recuperandam* ἀντίχρησιν: *nam cū pignus sit, hoc verbo poterit vti.* Alterum est *in l.si is qui 11. §.1.ff.de pignoribus. Si* ἀντίχρησις, ait, *facta sit, & in fundum aut in ædes aliquis*

aliquis inducatur, eousque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia soluatur, cum in vsuras fructus percipiat aut locando, aut ipse percipiendo habitandoque.

12. De hoc itaque pacto antichreseos ingens contentio est inter Doctores, vtrum licitum sit, an illicitum, id est vsurarium. Et quidem prima fronte videtur hoc pactum iustum esse ex iam dictis responsis Martiani IC.ti: vsque adeo licet fructuũ perceptorum æstimatio legitimum modum vsurarum *in l. eos, § 1. C. de vsuris*, præscriptum, excesserit; propter incertum fructuum euentum *per textum in. l si ea lege 17. C. de vsuris.*

13. Idem comprobare videtur ius Canonicum *in c. 1. ext. de feudis, & in c. salubriter. ext. de vsuris.* Quibus locis creditor pro pecunia debita fructus possessionum pignori datarũ licitè percipit & lucratur, facit etiam text. *in l. 2. C. de pactis inter emptorem & venditorem*; quo loco valet pactum venditioni fundi adiectum, vt quandocunq; velit venditor, refuso precio possit eundẽ fundum ad se reuocare; & tamẽ fructus interea ab emptore percepti vna cum restitutione fundi reuenditi non veniunt, sed manẽt lucro emptori. *Castrens. in l. 1. nu. 3. C. eod. tit.* Quem contractum nemo iustè reprehenderit. Nihil autem interesse videtur, fructus rei cedant lucro alteri per viam emptionis & venditionis, an per viam cõtractus mutui, cum ad eundem finem tendant, *c. cum quid 39. de reg. iur. lib. 6.*

14. Quibus accedat, quod de iure non improbetur hæc

hæc cōuentio, vt quis fundum ad certum tempus vel quoad vixerit possideat fructusq́; inde perceptos lucretur *per textum in c.nuper.ext.de donat.inter virum & vxorem.* Cur igitur hoc pactum antichreseos in pignore improbari debeat, vix videt.

Quin & hoc pactum licitū esse tradunt Zasius Molinæus, Wesenbecchius, Mynsingerus, Gail, & Binsfeldius, adhibitis tamen suis distinctionibus, vt paulo post videbitur.

Sed quid distinctionibus opus est in re tam manifesta, vtpote, quæ apertè pugnet cū iure diuino, cum sacris Canonibus, cum posterioribus Imperatorum constitutionibus quibus omnis accessio lucri causa facta in mutuo condemnatur, sicut à nobis supra cap. 1. latius demonstratum est. 15.

Et profecto, si vsuræ pecuniariæ in stipulationem vel pactionem deductæ non valent, vt est omnium Theologorum & Canonistarum sententia, non video cur secus statui debeat in fructibus rei oppignoratæ, qui etsi de iure Ciuili propriè vsuræ non sunt, tamen eodem iure in vicem vsurarum percipi dicuntur, vt *in l. si is qui 11. §. 1. in verbis. cū in vsuras fructus percipiat ff. de pignorib. in l. si ea lege. 17. in verbis. fructus in vicem vsurarum, & l. 14. C. de vsuris, & in l. si seruus. 6. C. quod cum eo, qui in aliena potestate, & in l. si ea pactione. 14. ibi, vt vice vsurarum domum inhabitaret. C. eod. de vsuris.* Imo de iure Diuino & Canonico, propriè & verè, vsuræ dicūtur, *c. consuluit. 10. ext. de vsuris, & 14. q. 3. per totam. Vt. d. cap. 1. supra latè comprobauimus.*

Igitur,

16. Igitur cum certo constet fructus pignoris à creditore perceptos, & qui percipi potuerunt in exonerationem sortis venire per *text.in l.* 1.2. *&* 6. *C.de pignorat.actio.& hoc c.*1.*& c.*2.*ext.de vsuris*, frustra quæritur, an saltem pacto effici possit, vt fructus cedant lucro creditoris: Siquidem hoc pactum vsurarium est, *d.c.* 1. *& c.* 2. *& ibid.in c.* 1. *notant Panorm.num.*2.*& Aug.Berous num.*6. *Ioan. de Anania num.* 3.*in fin. Idem Panormit.in c.* 1.*num.* 3.*vers. tertia lect. extra. de feudis. & ibid. Ioann. ab Imola.num.*7.*uers. Vnde alij & quarto, ex Doctorum sententia.* Vbi disertè ait, quod conueniri non possit, vt vsura licitè percipiatur, contra prohibitionem noui & veteris Testamenti, *c. quia in omnibus ext.de vsuris.* Vsuram vero vocat hanc perceptionem fructuum. Sed & Raphael Cumanus, *cons.* 19.*circa fin.* tradit non valere pactum de lucrandis fructibus quasi vsurarium sit. Idem Baldus in l.1. C.de distract.pignor. vbi etiam asserit, non valere pactum de lucrandis fructibus loco vsurarum. Quibus consonat & Didac.Couar. *variar.resolut. lib.*3.*cap.*1.*num.*3. apertè vocans creditorem vsurarium, qui fructus pignoris vltra sortem sibi præcipuos habet. Eiusdem sententiæ est Dominic. Soto, *de iustit.& iure lib.*6.*quæst.*1.*art.*2.*,circa finem.* Accedat postremo auctoritas D. Thomæ inter Theologos Scholasticos maximi nominis *in* 2.2. *q.*78.*art.*2.*ad sextum,* dum his verbis vtitur. *Quod si quis pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cuius vsus precio æstimari potest, debet vsus illius rei*

ille,

ille qui mutuauit computare in restitutionẽ eius, quod mutuauit; alioquin si vsum illius rei, quasi gratis superaddi velit, idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod vsurarium est.

Quo fit, vt Augustinus Berous, *in c. quia in omnibus. circa principium. ext. de vsuris,* improbet loci consuetudinem, qua creditor non tenetur reddere pignus, nisi prius sors debita sibi planè numerata fuerit à debitore, amissis interim fructibus à creditore pignoris perceptis; quasi ob hanc consuetudinem censeatur debitor illos fructus donare vltra sortem creditori. Improbat, inquam, ex eo, quoniam, ait, *cum accipere fructus ex re pignorata, & illos lucrari, sit propriè vsura, vt in c. 1. sup. eodẽ tit. & in c. 2. cum similibus, profectò non poterit induci seu effici licitum ex consuetudine loci certi, cum nec sufficeret consuetudo vniuersalis totius orbis.* Et mouetur hac ratione: *quod id, quod reputatur illicitum ex dispositione iuris diuini veteris & noui Testamenti, & à lege Canonica, ob generalem & vniuersalem consuetudinem totius orbis non efficitur licitum.* Quod argumenti genus fusissime persequitur Roysius in *decisionibus Lituanicis decis. 5. nu. 87. cum seqq.* Quo loco & hanc cõsuetudinem refellit, & quidem rationibus grauioribus. Ex his igitur, liquidè euincitur, pactum antichreseos esse illicitum, & tanquam vsurarium è Repub. explodendum. Neque enim ratio patitur, vt quod per se est illicitum, vt vsura, pactione fiat licitum. 17.

Nec mouent iura & rationes supra in contra- 18.

rium allatæ. Nam quod attinet *ad l. si pecuniam ff. de pignorat. actio. cum similibus*, mirum non est, his iuribus permitti antichresin, cũ ex iure Ciuili desumpta sint, quo & vsuræ impunè permittuntur, sicut cõstat *ex toto tit. Dig. & Cod. tum & ex alijs locis*, in quarum vicem eodem iure succedit ex conuentione partium hæc antichresis. *l. si is qui* 11. §. 1. *ff. de pignorib. & d. l. si ea lege. C. de vsuris.* Sed aliter de iure Diuino & Canonico quo hac in re vtimur reiecto iure Ciuili, ex ratione *c. fi. extr. de præscript.* Vt & fatetur Petrus Costalius *in l. si pecuniam 33. ff. de pignor. actio.* Quod attinet ad c. 1. ext. de feudis. infra cap. seq. respondebitur.

19. Iam ad Zasium Molinæũ aliosq; qui antichresim tanquã licitã excusare conantur, deueniamus. Itaq; Zasius *in l. rogasti. §. si tibi. ff. si certum petatur.* prout citatur à Frid. Martini in tract. de cens. *c. 1. nu.* 125. putat antichresim tunc vsurarum vitio laborare, vbi à fœneratore exercetur, nõ si ab alio probo viro. Sed hanc distinctionem merito idem Frid. Martini *loc. cit.* refellit, quod fundaméto careat, siquidem hic tantummodo controuertitur, vtrum antichresis natura sua licita sit, an vsuraria: si licita est, non solum à probo viro sed & à fœneratore rectè exercetur: sin vsuraria, ne quidem à probo licitè celebratur.

20. Molinæus in tractatu commerciorum & vsurarũ, *q. 35. nu. 259. cum seq.* distinguit inter antichresin temporariam & antichresim perpetuam, quarum illam quæ ad certũ tempus limitata est, valere

asserit;

afferit; perpetuam minimè in præiudicium debitoris; neq; eum obligari, quin quandocunq; voluerit fundum repetere, & à creditore etiam fructuum rationem exigere poſſit. Refert eum Andr. Gail, *lib.2.obſ.3.n.3.* Sed profecto non video, quo iure aut ratione hæc diſtinctio defendi poſſit, cum in antichreſi temporaria etiam proſpectu mutui fructus veniant & cedant emolumento creditori pignoris. Quod & haud dubiè vſurarium eſt, vti conſtat ex ijs quæ ante c.1.& hic fusè deduximus.

21 Matth. Weſebec. *in 1.part.conſ.reſp.2.nu.90. & ſeq.* vt obſeruauit Frid. Martini *ſup.citat.loc.n.128.* exiſtimat antichreſim eſſe contractum emptionis & venditionis cum pacto retrouëdendi. Sed huic apertiſſimè refragatur Martianus IC.tus, *in d.l.ſi pecuniam 33 ff.de pignorat.actio. ibi, nam cum pignus ſit.* Idem Martianus *in d.l.ſi is 11.§.1.ff.de pignorib. in verbis, retinet poſſeſſionem pignoris loco.* Vtrobiq; vocat antichreſin pignus, non quidem nudũ, ſed pacto informatũ. Quo fit vt & Cuiacius *de feudis, lib.2.c.5.in fin.hanc* ſententiam expreſſe improbet. *præceſſit*, inquiẽs, *pecunia debita, cuius nomine res pignori obligatur, ea lege, vt creditor fructus non computet in ſortem, vtque non aliter rem eam debitori reſtituat quam omni pecunia ſoluta. Eſt igitur pignus, non venditio.* Ita Cuiacius.

22 Ioach. Mynſingerus, *cent.6. obſ.71.* ſimpliciter affirmat antichreſim licitam eſſe, propter incertũ fructuum euentum, etiamſi fructus legitimum vſurarum modum interdum excedant, *per text.in l.*

I 2 *ſi oleo*

si oleo. l. si ea pactione. l. si ea lege C. de vsuris. Sed vides lector, quibus iuribus hanc suam sententiam confirmet, videlicet ex legibus ciuilibus, iam allegatis. Eodem modo potuisset probare etiã vsuras permissas esse *ex toto tit. Dig. & C. de vsuris.* Vtrumque enim quoad leges ciuiles expediti iuris est. At de iure Canonico, quod in hac re sequimur propter peccatum. *c. fi. ext. de præscript.* vt & idem fatetur Mynsingerus, *cent. 4. obseruat. 6. nu. 3.* licitã esse antichresim nemo rectè dixerit, eò quod iuri diuino aduersetur, *c. consuluit. 10. ext. de vsuris, vt sup. latius explicatum est.* Quod mirum est, non considerasse Mynsingerum, cum & alibi asserat Doctorum dicta secundum leges quas allegant exaudienda esse *cent. 5. obs. 6 1. num. 6. & Ioan. Andreæ in c. cum nuncius. prope finem ext. de testibus.*

23. Andr. Gail *lib. 2. obseruat. 3. num. 5.* licet hic non explicatè sententiam suam proferat, tamen in id videtur procliuior, quod antichresis vsuraria sit, quando creditor sui tantum quæstus & emolumenti gratia, eam celebrat: contra vero licita sit & inculpata, si iuuandi solummodo debitoris causa ea contracta sit. Nam hoc posteriore casu (inquit) nõ offenditur dilectio proximi, quæ in materia vsurarum, omnium maximè consideranda est. Verum nec hæc distinctio fundamento nititur; cum negari non possit, creditorem etiam posteriore casu lucrũ quærere prospectu mutui sui. Et quæ obsecro dilectio proximi in antichresi in qua fructus rei oppignoratæ creditor debitori suo aufert,

aufert, & in vſum ſuum conuertit cum damno ipſius debitoris, idque ob pecuniam mutuo datam & acceptam, quæ alioquin otioſa erat apud creditorem? (nam de non otioſa, ratione intereſſe ſupra cap. 1. diſſeruimus.) *Si mutuum dederitis his*, inquit Chriſtus Lucæ 6. *à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.*

24. Refert idem Andreas Gail, *d.num.* 5. ſententiam Gabrielis Mudæi *in tract. de pignoribus & hypothecis, cap. de pactis legis commiſſoriæ. num.* 34. vbi aſſerit Mudæus pactum creditoris de habendo pignore non quidem perpetuo, ſed ad tempus, donec pecunia ſoluatur, non eſſe improbatam legem commiſſoriam, ſed permiſſam antichreſim. Sed cum ipſe Mudæus ad probandam hanc ſententiam ſuam, adducat tantummodo textum iuris Ciuilis *in l. ſi is qui bona* 11. §. 1. *ff. de pignorib*, non aliter exaudiri debet quam ſecundum ius Ciuile, vt paulo ante diximus in refutatione Mynſingeri.

Affirmat quidem idem Mudæus *d. tractat. de pignorib. cap. de pactis pignorum, numero* 35. pactum antichreſeos non fuiſſe incognitum ſacris Canonibus. Sed cum ibidem addat, *fortè*, videtur, hæſitare ſiue dubitanter loqui. Interim probare nititur *per c. 1. ext. de feudis.* quo ſententia ſua minimè iuuatur, cum ſingularem caſum cõtineat. Vt infra cap. ſeq. declaratur.

25\. Nec ratio Mudæi quicquam euincit, cum ait: *Nam alioquin quis creditor vellet multis in colēdo fundo pignorato molestijs particularim sibi solui, & vix tandem ex fructibus multorum annorum colligi creditum, quod vna vice numerauit; cum particularis solutio multa habeat incommoda. l. planè. ff. familiæ erciscundæ.* Nam respondetur, creditorem sibi imputare debere quod cum nullo iure cogeretur ad mutuandum, hanc sibi necessitatem iniecerit, vt ex fructibus rei pignoratæ velit sortem suam colligere, iuxta text. *in l 1. & l. 2. C. de pignorat. actio. & c. 1. & c. 2. ext. de vsuris.* Quippe contractus initio voluntatis sunt, postea necessitatis. *l. sicut. C de actio. & obligat.*

Quamuis & hac molestia creditor se liberare posset, non recipiendo in se pignus, sed debitori relinquendo sub hypothecæ nomine adiecta lege; vt si statuto die mutuum solutum non erit, liceat creditori possessionē hypothecæ sua sponte ingredi iuxta *l. 3. & quæ ibi notant Dd. C. de pignoribus.* & eam postea vendere, vt sic sortem suam ex precio vna vice cōsequatur, *per text. in l fin. vers. sancimus C. de iure dominij impet. & in l. si conuenerit 4. ff. de pignorat. actio.*

26\. Vltimo, quod ad Petrum Binsfeldium attinet, hic in *c. 1. ext. de vsuris, q. 2. conclus. 1. & 2.* arbitratur creditorem licitè posse fructus pignoris sibi ab aliquo Principe indigente in antichresim cōcessi, percipere & lucrari, non quidem integros, sed qua-

quatenus correſpondent iuſtæ penſioni pro legibus & conſuetudine patriæ.

Citat pro hac ſententia Conrad. Maior. & Carolum Molinæum, quam & confirmat idem Binsfeldius duabus rationibus : Vna, *ſi non eſſet licitus*, inquit, *talis contractus, maximè quia talis mutuatio eſſet vſuraria, vtpote quia mutuando vellet percipere fructus, non computando eos in ſortem : Sed hoc non arguit, cum non ſit mutuatio. Igitur non vſura quæ ſupponit mutuationem; cum in caſu noſtro ſors non poſſit reuocari, quod eſt contra naturam mutui.* Altera eſt, *talis contractus in virtute videtur emptionis & venditionis redituum cum pacto de retrouendendo, cum ſors alienetur, nec poſſit repeti, & fructus pignoris deductis expenſis, ſint loco iuſtæ penſionis. Quare etiam moderantur ad ratione͂ moderatæ & taxatæ penſionis pro more & ſtatutis prouinciæ & patriæ.* Ita Binsfeldius. Quæ rationes, ſi veræ eſſent, non tantum concluderent in Principe indigente, de quo ſolum Binsfeldius loquitur, ſed & in quouis alio debitore, qui pignus in antichreſim conceſſit.

27. Ceterum nec hæ rationes mihi probātur, quia prior etſi præſupponat conuentionem antichreſeos nō eſſe mutuum vt veriſſimum eſt, negari tamen non poteſt, quin ineatur propter mutuū ſiue mutuationem præcedentem dato pignore cum pacto antichreſeos: cuius vi cum lucretur creditor fructus pignoris, merito in vſuram incidit, *c.* 1. *c.* 2. *c.* 3. 14. *q.* 3. *c.* 1. *c.* 2. *& c. conſuluit* 10 *ext. de vſuris.*

Neque ideo cessat mutuum, quod non possit pro arbitrio creditoris repeti, cum id ipsum non pertineat ad essentiam mutui, quæ est, vt idem in genere reddatur, *l.2.in princ. & l 3.ff. si certum petatur*, Sed potius pertinet ad naturalia contractus mutui; quod vel inde liquet, quod mutuum contrahi possit ad certum tempus, puta ad Kalendas proximas, vel ad duos, tresue siue plures annos. *l. lecta.40.ff. si certum petatur*, sicut & communiter mutuum in diem certum restituendum contrahi solet, & tamen nemo recte dixerit, vt quia interea temporis pro arbitrio creditoris mutuum repeti non possit, ideo extinctum esse mutuum, aut transijsse in alium contractum, *contra tit. Instit. quibus modis tollitur obligatio* Etenim essentialia contractus pactionibus mutari non possunt, vt idem maneat contractus, sed naturalia possunt saluo manente contractu, *l pacta conuenta 72.in princ.ff.de contrah.emptio.& l.iuris gentium 7. §.adeo.ff.de pactis.*

28. Sed neque altera ratio quidquam efficit; non enim potest dici, talem cõuentionem habere vim emptionis & venditionis redituum, cum longè ab eo contractu distet. Nam in constitutione reditus per emptionem & vẽditionem, principaliter & verè contrahitur emptio & venditio, cum in ea hæc tria concurrant; consensus contrahentium, precium certum, & res quæ in emptionem & venditionem deducitur, vt est ipse reditus siue obligatio annua ad præstandam certam pensionem:

Ita

Ita quod hæc tria simul iuncta perficiant emptionem & venditionem, *tit. instit. de emptione in princ. & §. precium, & l. nec emptio. 8. cum l. seq. ff. de contrah. empt.* sicut infra cap. 10. latius demonstrabitur. At in antichresi fructus pignoris veniunt per modum accessionis, idque in vicem vsurarum, propter pecuniam mutuo datam.

Ex his patet quam varie Dd. sentiant de hoc pacto antichresios, & quam lubricę, ne dicam absurdę sint eorum rationes in eo defendendo. Vnde nihil illis impedientibus, certa à nobis regula hæc constituenda est, quod pactum antichresios illicitum sit, eo, quod vsurarium; & consequenter absq; peccato exerceri non possit, sed fructus perceptos cum ijs qui percipi potuerunt ex pignore, & damno in pignore dato, in extenuationem sortis imputari oportere, & si quid forte, his subductis, supererit, restituendum esse debitori, saluis tamen & ipsi creditori expensis in rem factis, & si quid aliud ipsi aberit ratione interesse, vt ante diximus. Quod certe non potest accommodari ad pensionem lege vel consuetudine patriæ receptam, vt Binsfeldius vult; sed prout interesse re ipsa probabitur à creditore; iuxta ea quæ supra cap. 1. *de interesse* dicta sunt. Et memini non ita pridem in hanc sententiam respondisse Collegium Iuridicum huius Academiæ Ingolstadiensis in causa cuiusdem Baronatus annos circiter centum oppignorati cum pacto antichresios. 29.

Ne autem in hoc pactum vsurarium antichre- 30.

ſeos temere incidamus prudenter monet Domi. Soto *de iuſtitia & iure. lib. 6. q. 1. art. 2. in fine.* vt creditor rem quam alioqui debitor pignori deſtinauerat, certo pretio emat cum pacto retrouendendi. Nam hoc caſu fructus aliæq; obuentiones lucro emptoris cedent. Et recte, cum iam ex re ſua creditor eas percipiat. *l. qui ſcit. 23. ff. de vſuris.* Et hoc pactum retrouenditionis ſiue potius reuenditionis (nam & verbo reuendendi vtitur textus *in l. Iulianus. 37. ff. de bonis libertorum.*) eſſe licitum etiam in foro conſcientiæ, multis authoritatibus probat Andr. Tiraquellus *de retractu conuentionali in præfatione. num. 2. cum ſeq. vbi pro hoc allegat locum Leuitici 25. capite. Cuncta regio poſſeßionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Probant & Martini V. & Calixti III. conſtitutiones in extrauag. communibus. *ſub titulo de empt. & vend.* dum hi aperte cenſent annuos cenſus redimibiles licitos eſſe, non vſurarios, prout infra ca. 10. latius explicabitur. Quare & Martinus Nauarrus *in Manuali. cap.* 17. *num.* 248. idem hoc pactum tuetur, ſiue intra certum tempus, quo res redimi debeat, conceptum ſit, ſiue ſine præfinitione temporis. Nam vtroque caſu licitum aſſerit per textum *in ca. cum Ioannes. de fide inſtrumentorum. l. fundi partem. ff. de contrah. emptio. l. ſi fundum. l. ſi à te. C. de pactis inter emp. & vend. & Leuitici 28. ſecundum Ioan. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panor. & communem Canoniſtarum, in c. ad noſtram. de emp. & Legiſtarum, in dict. l. ſi fundum, Cæpol. de ſimulat.*

com-

Digitized by Google

contract. cas. 2 *& omnes Theologos in* 4. *lib. sentent. dist.* 15. Et de eodem hoc pacto, vt multis placet loquitur *l.* 2. *C. de pactis inter empt. & vendit. sicut ibidem nuncupatim notant Angelus, & Paulus Castrensis teste Tyraquel. dict. præfatione. num.* 2. Idem placet Panormitano *in cap. cum ad nostram, num.* 8. *extra. de empt. & Nauarro dict. num.* 248. Licet vehementer repugnet Ioannes Corasius *Miscel. lib.* 3. *cap.* 7. *cum in d. l.* 2. ne quidem fiat mentio pacti retrouenditionis, sed tantum de restituenda re, oblato precio, sic enim habent verba *d. l.* 2. *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, vt siue ipsi siue hæredes eorum emptori precium quandocunque vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret, vt contractus fides seruetur actio præscriptis verbis vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum quæ post oblatam ex pacto quantitatem, ex fundo ad aduersarium peruenerunt.* Ecce textus dict. l. 2. vtitur verbo *restitueretur* non reuenderetur. Inter vtrumque eam differentiam esse vult Corasius, quod verbum *reuendere* nudum tantummodo factum contineat, ac proinde emptor reuendere rem emptam præcise cogi non possit, sed id tantum quod interest præstare, sicut euenit in alijs faciendi obligationib. *l. si quis ab alio. §. finali. ff. de re iudicata.* Verbum vero *restituere* contineat causam bonorum, hoc est, dominij translationem. *l. in conuentionalibus.*

31.

§. 1.

dori suo, quod ante vsuras promiserit; quæ species quædam coactionis est, *l. penult. vers. & hoc modo, & l. Quintus Mutius* 48. *circa princ. ff. mandati*; vel, nisi eas soluat timet ne sors ab eo auocetur. Quare & hîc cessat illa iuris regula: *Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati, donatio est l. cuius per errorem. ff. de regulis iuris.* Tametsi enim debitor indebitas vsuras consulto soluat, non tamen donare eas præsumitur in dubio: quia, vt dixi, coactus soluit. Vnde neque si sciens sibi competere repetitionem vsurarum, repetitio cessat, non obstante, *l. quod quis* 50. *ff. de condict. indebiti.*

In simonia vero vtriusque turpitudo est, tam dantis quam accipientis, ac proinde melior est conditio possidentis, iuxta aliam iuris regulam: In pari delicto vel causa, potior est conditio possidētis, *c. in pari. de reg. iuris in* 6. Sed rectè addit Nauarrus; nisi quando lex specialiter mandat. Nam tametsi de acceptis per simoniam realem, hoc est, vbi ex pacto expresso vel tacito interuenit res, lex sit specialis, *in c. de hoc, eodem titulo de simonia*: nulla tamen est de receptis per simoniam mentalem: atque idcirco ad mentalem eadem pœna produci non debet, *c. odia. de reg. iur. lib.* 6. imo potius expresso iure contrarium cauetur, *in d. c. fin.* Igitur, conquiescamus in his duabus rationibus à Nauarro allatis, etiamsi plerisque ob nimiam earum subtilitatem fortè minus satisfactum videri possit: Sed tunc in eos retorquenda est Iuliani IC.ti sententia:

tentia: *Non omnium* inquiens, *quæ à maioribus constituta sunt ratio reddi potest. l. non omnium, 20. ff. de legibus. Et ideo*, addit ibidem Neratius in l. seq. *rationes eorum, quæ constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex ijs quæ certa sunt subuertuntur.* Vide si placet fusius Nauarrum *in dict. cap. fin. ext. de Simonia.*

Vbi tamen meminisse oportet, debitorem qui vsuras soluit, vel eius hæredem non admitti ad repetitionem vsurarum si & ipse vsuras exercuerit: vnde opposita hac exceptione in iudicio iuste repellitur à iudice, donec ipse ante vsuras restituerit *c. quia frustra. 14. ext. de vsuris.* vbi & hæc ratio redditur *quod is frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem.* Eadem vtitur Triphonius I Ctus in simili specie. *in l. auxilium. 38. in fine. ff. de minoribus.* 13.

Subijcienda est hic altera quæstio; an res ex vsuris comparatæ, sint debitorum, à quibus vsuræ extortæ sunt, aut saltem iure hypothecæ illis obligatæ? Quod autem non sint debitorum aut eorum hæredum, sed ipsius emptoris, probat passim tit. *C. si quis alteri vel alterius nomine. & textus in l. si ex ea. 6. C. de rei vindicat.* vbi his verbis Gordianus Imp. *Si ex ea pecunia, quam deposueras is apud quem collocata fuerat sibi possessiones comparauit ipsique tradita sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his, compensationis causa, ac inuito eo in te transferri, iniuriosum est.* 14.

Quod si id in depositario alioque malæ fidei

possessore receptum est, vt is ex pecunia aliena dominium rei emptæ sibi adquirat, cur non similiter & in creditore vsurario? Vt hinc D. Thomas *in 2.2.q.78.art.3.ad secundum.* recte asserat, possessiones ex vsuris comparatas, non esse, eorum quorum vsuræ sunt, sed illorum qui eas emerunt. Sed (quod adijcit) illis obligatas esse à quibus vsuræ sunt acceptæ, iam excutietur.

15. Igitur hic quæritur, an saltem res ex vsuris comparatæ sint debitoribus hypothecæ iure obligatæ? Quod videtur ex iam dicta sententia D. Thomæ. Idem asserit Glossa *in c. tua nos. extra. de vsuris.* vbi hoc amplius contendit, quod omnia bona vsurariorum sint tacite obligata. Quæ & communis fuit antiquorum opinio, licet posteriores ab ea communiter dissenserint teste Panormit. *in d.c. tua nos. num.7. cum seq.* Nec enim iure probatur hæc hypotheca. vt tradunt *Ioann. Andr. in c. quanquam de vsuris, & Didacus Couarruuias variarum resolutionum. lib.3. cap. 1. num.6. circa finem.*

Vnde Hostiensis in *d.c. tua nos. circa finem.* recte inquit, successorem singularem, ad quem defuncti res etiam ex lucratiua causa peruenerunt, conueniri non posse pro restitutione vsurarum. Et quamuis Hostiensis non simpliciter hoc asserat, cum vtatur his verbis, *non videtur teneri*, tamen ita interpretatur sententiam eius Panormitanus *ibidem.* Hoc præterea adijciens; quod quo ad rem ex vsuris comparatam & alteri quæsitam lucratiuo ti-

uo titulo, puta donationis, possit hic possessor pro vsuris conueniri. Quod ex æquitate intelligendum est, non vi obligationis. *l. si me & Titium. 32. ff. si certum petatur.* dummodo soluendo non sit vsurarius, aut hæres ipsius, qui in primis tenentur. *d. c. tua nos. & supra hoc eodem ca. meminimus.* Non obstat d. sententia D. Thomæ & Glossæ, quia vtraque nititur textu *in c. cum tu. 5. in fine. ext. de vsuris.* in quo nulla mentio hypothecæ, sed tantummodo statuitur, vt possessiones, quæ ex vsuris comparatæ sunt, vendantur, eo casu scilicet, quo alias soluendo non sunt vsurarij, vti fit & in aliarum rerum executione. *l. à. diuo Pio. 15. §. in venditione. ff. de re iudicata.*

CAPVT VIII.

De pœnis vsurariorum.

Summaria.

1. *Pœna in vsurarium laicum excommunicatio est, & quæ in clericum.*
2. *Altera pœna, priuatio communionis & ecclesiasticæ sepulturæ.*
3. *Vsurarij manifesti intestabiles sunt, ex cap. 2. de vsuris. cuius verba hic referuntur & explicantur. cum n. seqq.*
4. *Vsurarij manifesti qui. & n. 5.*

6. Cau-

6. *Cautio quæ intelligatur in d.c.2.*
7. *An d.c. 2.etiam ad codicillos porrigatur.*
8. *Quid, si quis cum testamenti tempore vsurarius manifestus non esset sed post?*
9. *Item si post testamentum factum vsurarius manifestus cautionem præstet?*
10. *Recensentur & aliæ pœnæ in vsurarios constitutæ, & in primis de infamia.*
11. *Quæritur de pœnis iuris Ciuilis, an eædem transferri poßint ad casus solo iure Canonico prohibitos.*
12. *De pœna publica in vsurarios.*
13. *An vsurarius contractus in totum vitietur.*

1. SVperiori cap. de restituendis vsuris egimus; iam ad alias pœnas vsurariorum digrediamur. Inter quas prima occurrit excommunicatio in laicos, in clericos suspensio ab officio & beneficio ecclesiastico. *c præterea.7. extra.de vsuris,* non quidem ipso iure sed per sententiam iudicis ecclesiastici: siquidem textus *in d.c.præterea*, vtitur his verbis, *suspendas, adstringas,* quæ factum iudicis requirunt, & quidem tale vt antequam ad excommunicationem deueniatur, trina monitio præmitti debeat, *iuxta c. sacro.48.extra de sententia excommunicat. iuncto c.constitutionem.* 10. *eodem tit.in 6.* Suspensionem vero statim iudex potest infligere, cum ex decreto Concilij Niceni iudex possit vsurarium clericum etiam priuare gradu ecclesiastico, & à clero deijcere, iuxta *textum in ca. quoniam.*

quoniam multi. 14. *quæst.* 4. *iuncto c. cum non ab homine.* 10. *ext. de iudiciis.* Quæ pœna postea ab Alexandro tertio in Concilio Turonensi repetita videtur *in c.* 1. *extr. de vsuris.* Iudicis igitur arbitrium in hac re versabitur, vtrum pœnam depositionis vel suspensionis clerico vsurario infligere debeat, quod æstimabit ex qualitate personæ & delicti, seruata tamen forma circa excommunicationem & suspensionem ab Innocentio IV. præscripta in Concilio Lugdunensi: vt scilicet, vtraque in scriptis fiat, & expressa causa; sicut latius videre est *in c.* 1. *de sententia excommun. lib.* 6.

2. Item vsurarij si manifesti sint, ad communionem altaris & sepulturam ecclesiasticam non admittuntur, nec eorum oblationes recipiuntur, statuta suspensionis pœna in clericos si contra fecerint. *c. quia in omnibus.* 3. *extr. de vsuris.*

3. Sed neque ad testamenti factionem vsurarij manifesti admittuntur; nisi vsuras prius restituerint, aut de ijs restituendis idoneè cauerint. *iuxta formam c.* 2. *de vsuris. lib.* 6. Cuius celeberrimi capituli verba hîc adscribam. *Quanquam vsurarij manifesti de vsuris quas receperant satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in vltima voluntate mandauerint; nihilominus tamen eis ecclesiastica sepultura denegetur, donec de vsuris ipsis fuerit* (*prout patiuntur facultates eorum*) *plenarie satisfactum; vel illis quibus facienda est restitutio, si præsto sint ipsi, aut alijs qui eis possunt adquirere, vel eis absentibus loci ordinario aut eius vices gerenti, siue Rectori parochiæ, in qua*

in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia (quibus quidem Ordinario, Vicario & Rectori prædicto modo cautionem huiusmodi, eorum nomine liceat præsentis constitutionis auctoritate recipere, ita quod illi perinde actio adquiratur) aut seruo publico de ipsius Ordinarij mandato idoneè de restitutione facienda sit cautum. Ceterum si receptarum vsurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem huiusmodi arbitrio moderandam; ipse tamen scienter non minorem quam verisimiliter creditur, moderetur; & si secus fecerit ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos & alios, qui manifestos vsurarios contra præsentis sanctionis formam ad ecclesiasticam ausi fuerint admittere sepulturam pœnæ Lateranensis Concilij contra vsurarios promulgatæ; statuimus subiacere. Nullus manifestorum vsurariorum testamentis intersit; aut eos ad confessionem admittat; siue ipsos absoluat; nisi de vsuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent (vt præmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum vsurariorum aliter facta, non valeant, sed sint irrita ipso iure. Huc vsq; text. in c. 2. de vsuris, lib. 6.

4. Huius igitur capit. 2. sententia hæc est; quod vsurarij manifesti ad ecclesiasticam sepulturam non admittantur, antequam vsuras (quoad facultates eorum patiuntur) refuderint ijs, quibus extorserunt, vel hæredibus eorum; vel in subsidium pauperibus *c. cum tu. 5. extra. de vsuris.* (ita enim

enim hic textus d. cap. 2. supplendus est) vel saltem cautionem de restituendo præstiterint præsentibus ijs quibus vsuræ debentur, aut illis, qui in eorum potestate sunt, vt sunt serui & filijfamilias, (nam per hos dominis & parentibus adquiritur, *tit. Inst. per quas personas cuique adquiritur*, *& l. adquiritur*. 10 *ff. de adquirendo rerum dominio.*) Aut his absentibus, loci Ordinario, siue eius Vicario, vel proprio Parocho coram personis fide dignis, aut deniq Notario ex mandato Ordinarij, de restituendo idoneè cauerint. Intelligendo tamen, nisi mortis articulus immineat: hoc enim casu, cum permissum sit omnibus Sacerdotibus quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere, ex declaratione Concilij Tridentini *sess.* 14. *c.* 7. *in doctrina, de sanctiss. pœniten.* possunt etiam hi promiscue eandem cautionem recipere & permissu morientis eam referre episcopo. *Syl. in verbo restitutio. 6. quæst.* 1. Addit Nauarrus *in Manuali cap.* 17. *nu.* 218. & cuilibet alteri sacerdoti legitimam potestatem audiendi confessionem habenti eandem cautionem fieri posse. *arg. Clem. dudum. de sepultu.*

His ergo concessum est, absentibus debitoribus & ijs qui in eorum potestate sunt cautionem hanc de restituendis vsuris recipere. Et hac forma non seruata, vsurarij manifesti nec admittuntur ad ecclesiasticam sepulturam, nec eorum testamenta vim vllam habent, sed prorsus irrita sunt ipso iure. Præterea religiosi & alij, qui eosdem ad eccle-

ecclesiasticam sepulturam admittunt coercentur pœna Concilij Lateranensis, quæ est suspensio ab executione officij & restitutio eorum quæ acceperunt. *c. quia in omnibus. ext. de vsuris.* sed & posteriore iure ipso facto sunt excommunicati. *c. 1. de sepultur. in Clementinis.*

4 Porro hic non attinet disquirere, qui dicantur vsurarij manifesti. Hos supra capite proximo descripsimus ex ca. vlt. ext. de cohabit. clerico. qui vel fœnus palam exercent, vel id in iudicio confessi sunt, vel de eo condemnati sunt sententia iudicis.

Et quidem quoad primum de palam exercentibus vsuras omnes in eo conueniunt, vt si prædicto c. 2. contineantur. Ita enim attestatur Did. Couarruuias *variarum resolutionum. lib. 3 c. 3. nu. 4.* Quocirca satis non est, probare aliquem esse vsurarium, nisi simul probet & hanc qualitatem, quod manifestus sit, *ex l. 1. & l. 2. ff. de probation. Menochius de arbitrarijs iudicum casu 235. in princ.* vbi & manifestum vsurarium interpretatur, non solum eum, qui publice omnibus spectantibus vsuras exercet, sed & qui domi omnibus fœneratur. Quod tamen *de omnibus*, scilicet, petentibus non requirit necessario Nauarrus *d. c. 17. nu.* 280. cum sufficiat manifestam esse huiusmodi mutuationem, ita quod nulla tergiuersatione celari possit. *d. c. vlt. ext. de cohabit.* Imo etsi vera & propria mutuatio non sit, sed interpretatiua, vt loquimur; qualis est, vbi res carius vel vilius iusto pre-

cio

cio emitur aut venditur; prout supra cap. 3. explicatum est: nihilominus eodem modo emptor vel venditor manifestus vsurarius dicitur, dummodo rei euidentia id publice testetur. Vt hinc pie & vere exclamet Petrus Binsfeldius *in cap. cum in Diœcesi, ext. de vsuris. q. 1. in 2. conclus.* quam multi, inquiens, sunt, vsurarij manifesti, tempore annonæ carioris: quando verbi causa, modium frumenti, qui præsenti pecunia venderetur sex florenis, sed propter solutionem dilatam omnibus aduentantibus septem venditur acceptis fideiussoribus, siue pignoribus captis; & nihilominus eorum misericordia prædicatur, *Sed væ*, addit, *tali misericordiæ, si pœnitentiam non agunt in hoc mundo, & pauperibus tam iniustum lucrum non restituant. Vere horrendum est, quod tam multi in Republica ex infimis, medijs, & supremis sint, qui tam prauæ negociationi inhient, & non cogitent de pœnitentia & restitutione, & nullum scrupulum ob hoc exercitium sibi faciunt. Vtinam saperent & intelligerent, quomodo Dominus mortis & vitæ, quando minime cogitabunt in nocte veniet, & repetet animas eorum, & dicet; stulti cuius erunt, quæ congregastis, supprimendo pauperes, quos potius misericordiæ opere erigere quam vsurario negotio subruere debueratis.* Hæc, inquam, non minus vere quam pie Binsfeldius: non tamen ideo excusat eos, qui clam id genus vsurarum exercent; cum non minus & hi restitutioni obnoxij sint, & rationem sint Deo reddituri. Sed progrediamur.

5. De eo qui confessus est hoc crimen in iudicio, se scilicet esse vsurarium, non minus manifestus dicitur. *ex d.c. vlt. extr. de cohabitat. clericorum. Glossa in c. 1. verbo manifestos de vsuris. lib. 6. Menochius d. casu. 235. n. 20.* vbi & prudenter monet, quod hęc confessio non debet esse simplex sed coniuncta, quod publice vel domi sæpius vel frequenter sub vsuris mutuauerit, ductus auctoritate Baldi & aliorum *in c. in præsentia. n. 8. ext. de probat.* qui tamen Baldus id plane non affirmat; sed nihilominus videtur vera hæc sententia ex ratione quam *ibidem* subijcit Menochius; quia illa confessio, inquit, simplex, se sub vsuris mutuo dedisse verificari potest in vno actu; qui tamen solus non efficit, vt quis vsurarius dicatur cum verbale nomen in vno actu solo non verificetur. *Ita omnes, ait Menochius in c. 1. ibi Ripa. n. 96. de iudiciis.* sicut contingit & in meretrice, mercatore, calumniatore alijsq; similibus qui ex vno actu hæc nomina non sortiuntur, sed & ex pluribus. Cui tamen non assentior; cum refragetur text. apertus *in c. 1. in fi. 14. q. 3.* fœneratorem eum nominans, qui vel semel fœnus exercuerit. Sic & calumniator dicitur is, qui vel semel calumniatus est. *l. 4. §. calumniator. ff. de ijs qui notantur infamia. l. si per alium. 5. §. 1. ff. de ventre in possessionem mittendo.* Cur non similiter igitur & is vsurarius dicetur, qui vel semel sub vsuris pecuniam credidit? Sed & male locuti fuissent I Cti, dum vocant vsurarium debitorem, vsurarium debitum. *l. debitor. 7. ff. de vsuris. & l. si*

pupilli,

pupilli.6.ff. de negotijs gestis. Quare propius puto eum quoque vsurarium recte dici, qui vel semel fœnus exercuit, eundemque manifestum esse, si id in iudicio confessus fuerit; etiam non addito, quod manifestus sit: sicut ex sententia Dd. recte tradit Couar. *var. resol. lib 3.c.3.n.4.vers.3.* Idem est in eo, qui ob hoc crimen condemnatus est à iudice. *d.c. vlt. extra. de cohabitat. clericor. Glossa communiter probata in c.1. de vsuris. in 6. teste eod. Couar. d.n. 4. vers. quarto.*

De confessione extraiudiciali quæsitum est, an ea vsurarium manifestum efficiat? Scio vsurarium ex eo legitime probari, quod scripto vel coram testibus professus est, se vsuras recepisse; præsente tamen parte. *ex l. publica. 26. §. Lucius Titius. ff. depositi. l. certum. 6. §. si quis absente. ff. de confessis. l.1. in fine. & l. vltim. ff. de interrogationibus in iure faciendis.* Quamuis sint, qui præsentiam partis hac specie non requirant; propter exonerationem conscientiæ, *quos refert Mascardus de probationibus. lib.1. conclus. 350. num. 25. cum seqq. Farinaceus de criminalibus, parte tertia, quæst. 32. nu. 15.* Is tamen non ante dici poterit manifestus, quam si crimen suum in iudicio confessus vel de eo condemnatus fuerit, sicut iam ante explicatum est.

Sed fingamus vsurarium confessionem hanc extraiudicialem coram pluribus expressisse? Et hoc casu vsurarium manifestum dici posse probat Antonius Gabriel. *lib. 7. conclus. 20. nu. 10.*

ex Glos. in c. 1. de vsuris. lib. 6. quam testatur sequi ibidem Anch. Dominic. & Francum. item Abb. Cardin. Ananiam & communi calculo receptam ex Soc. cons. 127. col. 2. vol. 3. Verum ex dicta Glossa minime elicitur hæc sententia, si ea recte inspiciatur. Interim Did. Couarr. *var. resol. lib. 3. c. 3. num. 4. versic. tertio,* eam veram esse censet, dummodo facta fuerit coram testibus ita palam & publice; quod in plurium aures, cognitionem & scientiam deuenerit. Quæ certe sententia iuuatur *ex cap. super quibusdam. ext. de verb. significat.* vbi consultus Innocentius III. qui dicendi sint hæretici manifesti, rescribit, illos intelligendos esse, *qui contra fidem Catholicam publice prædicant aut profitentur, seu defendunt eorum errorem; vel qui coram Prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate.* Idem igitur sentiendum est, de vsurario, vt & is manifestus dicatur, si publice vsurarium se professus est.

Vnde hinc alia exurgit quæstio: an hi omnes *d. c. quanquam. 2. de vsuris. lib. 6.* contineantur. Negat Couarruuias *d. c. 3. n. 5. vers. at si tractetur.* Sed tantummodo eos contineri vult quos palam ita arguit criminis euidentia, vt nulla tergiuersatione celari possit: Siquidem verisimile non est (inquit) Roman. Pontificem tam graues pœnas statuisse aduersus eum qui semel mutuum dedit sub vsuris, licet id in iudicio confessus vel de eo condemnatus sit. Nec item in eum, qui secreto vsurarios contractus iniuerit, quamuis postea eius criminis,

minis,vel propria confessione,vel probationibus alijs conuictus,fuerit condemnatus; Nam in his casibus non posset iuste iudex hunc pronunciare manifestum vsurarium: ad eum scilicet,effectum vt incurrat pœnas *d.c. quanquam.* At vero si tractetur de pœnis Concilij Lateranensis, quæ extant *in c.quia in omnib.3. ext.de vsuris.* putat is omnes cuiusq; generis vsurarios manifestos comprehendi. Et hanc Couarr. sententiam videtur quoque comprobare Petrus Binsfeldius *in ca.xum in Diœcesi.q. 2.ext.de vsuris.* Mihi vero minime probatur, eo quod Glossa *d. c. quanquam.* de quouis manifesto vsurario textum exaudiat. Idem Nauarr.*in Manuali c.17. n.*281. Idem sentire videtur Panorm. *in d.ca quia in omnibus. n.*11. *Iulius Clarus in §.de vsura.n.13.& 15.* Nec video cur non de omnibus exaudiri debeat, cum etiam in quouis crimine confessio in iure tanti valeat, vt ex ea quis iuste condemnetur ad pœnam etiam grauissimam,*l,qui sententiam.16. C.de pœnis.* Idem igitur iuris censeo in eo, qui crimen suum in iure confessus est, vel eo nomine condemnatus; ac si reipsa palam vsuras exercuisset, ad eum effectum vt vsuras restituat, vel de ijs restituendis idoneè caueat, neque ante ad factionem testamenti admittatur;præsertim cum hæc non tam in pœnam vsurariorum statuta sint, quam in medicinam siue remedium animarum suarum, vt eo magis adigantur vsurarij ad restitutionem vsurarum.

Vnde sunt,qui constitutionem *d c.quanquam.*

tanquam thesaurum obseruari velint, quod scil. per eam vsurarij indirecte cogantur ad restitutionem vsurarum. *Io. And. in d. c. quanquam.* Vbi tamen recte monet; eidem constitutioni non esse locum, nisi in vsuris receptis; cum de eis solummodo loquatur; ac proinde Aduocatum qui eadem vti velit ad infirmandum testamentum, vel ad impediendam sepulturam defuncti; non debere simpliciter concipere articulum quod mutuauerit sub vsura, sed & eam receperit. Sæpe enim (ait) contingit, quod is qui fœnerari incipit, ante vsuræ exactionem, moriatur, vel contractus siue pactionis vsurariæ, cum pœniteat.

6. Quo vero ad cautionem præstandam *ex d. ca. quanquam. de vsuris. lib. 6.* ea idonea intelligitur. quæ fit fideiussore vel pignoribus, per *textum in l. mandato Titij. 59. § final. ff. mandati. Glossa communiter recepta. in d. c. quanquam. vt testatur Couarru. d. c. 3. nu. 6.* Alias verbo *cautionis* continetur etiam nuda promissio *l. 3. C. de verb. & rerum significat.* Nec verum est, quod tradit *d. loco,* Couarru. hypothecam generalem vel specialem non sufficere. Siquidem & ea res de qua tantum conuenit vt pignori sit nondum autem tradita, recte & in pignus concessa intelligitur. *l. 1. ff. de pignorat. action. l si tibi. 17. §. de pignore ff. de pactis:* quamuis si verbi proprietatem spectemus pignus dici non potest, nisi vbi res simul tradita est. *l. plebs. 238. §. pignus. ff. de verborum significatione. & §. item Seruiana. Instit. de action.* Vbi vero idonea cau-

tio

tio præstari non potest, satis erit vsurarium iurasse, quod fideiussorem vel pignora dare non possit. *Glossa in d. c. quanquam, in verbo, idoneè. per textum in Authentica. generaliter. C. de Episcopis & clericis. c. 7. per nostras. extra. de donationibus inter virum & vxorem. & §. Sed hodie. Institut. de satisdation. Martinus Nauarrus dict. cap. 17. num. 279.* Atque hæc indubitata sunt in foro ecclesiastico. In foro ciuili siue sęculari; non existimo vitiari testamentum vsurarij propter defectum huius cautionis non præstitæ: cum hæc res si omittatur peccatum non concernat. Igitur in eo sufficeret defunctum vel nudam cautionem præstitisse, vel ea omissa agi posse contra eius hæredes; vti & supra hoc eodem capite indicatum est.

74 Ceterum quæstionis est; an sicut testamenta manifestorum vsurariorum non obseruata forma. *dict. cap. quanquam. de vsuris. lib. 6.* ipso iure non valent, idem transferri debeat ad codicillos? quod vix videtur, cum codicilli à testamentis sint separati. *l. fin. C. de codicillis, & l. non codicillum. 14. C. de testamentis.* ac proinde cum hæc res odiosa sit, non est facile ad alium casum pertrahenda. *cap. odia, de regulis iuris. lib. 6.* Attamen verior est Glossæ sententia *in dicto capit. quanquam.* quod & codicilli eodem modo nullius momenti censeri debeant, ne hac via eludatur constitutio *eiusdem capit. quanquam.*

Quam Glossam commendat Felinus *in cap.*

translato. in fine. ext. de constitutio. generaliter tradens; quod vbi constitutio redderetur elusoria, si non extenderetur; licite fieri possit eius extensio etiamsi sit exorbitans & correctoria. optimus *textus in ca, si sententia. 16. & c. si ciuitas. 17. de sent. excommunicationis. lib. 6.* Deinde aperta iuris sententia est: codicillos tum demum eum facere posse, qui & testamentum facere potest. *l. diu. 6. § codicillos, & l. conficiuntur, 8. §. codicilli. ff. de iure Codicillorum.*

8. Sed si quis cum vsurarius non esset testamenti tempore, post vero conditum testamentum fiat manifestus vsurarius; an ob id irritetur hoc testamentum? Quod putat, & recte quidem Did. Couarru. *d. c. 3. n. 9. §. vndecimo.* cum eadem sit ratio in hac specie, quæ in priori casu. Siquidem canon solemnem hanc cautionem indixit manifestis vsurarijs; vt vsuræ extortæ prorsus restituerentur. Deinde addit & hanc rationem; quod ad vim testamenti non solum requiratur vt testator tempore testamenti conditi testari potuerit, sed & mortis tempore. *l. 1. § sed si filius ff. de legat. 3.*

9. Quid autem, si post factum testamentum vsurarius manifestus cautionem præstet? Censet *idem Couarru. d. n. 9. §. duodecimo.* testamentum conualescere, eo quod satis fiat constitutioni canonis: & in hanc sententiam plures autores citat, eamque ex Alexandro communem esse asserit, licet contraria iure verior sit *ex d. § sed si filius, & ex § non tamen. Inst. quibus modis testamentum infirmetur,*

metur, & l. omnia quæ ex testamento. ff. de regul. iuris quibus locis inspicitur tempus testamenti, an eo defunctus facere potuerit testamentum. Priore tamen casu facilè crediderim; vt si post testamentum ritè conditum & signatum, fiat vsurarius manifestus; & deinde cautionem præstiterit; testamentum ex æquitate sustineri. *d. §. non tamen, & l. posthumus 12. ff. de iniusto, rupto, & irrito facto testamento.* quemadmodum & codicilli, vbi ab vsurario manifesto sunt facti, & postea is cautionem præstiterit durante eadem voluntate. per textum *in d. l. 1. §. sed si filius, & ibi Glossa. ff. de legatis tertio.*

Sed ad reliquas vsurariorum pœnas progrediamur: Notantur vsurarij & iuris infamia, *textus est in l. improbum 20. & ibi notant Glossa, Bartholus, & Salycetus. C. ex quibus causis infamia irrogatur. Improbum fœnus exercentibus,* inquit textus, *& vsuras vsurarum illicitè exigētibus, infamiæ macula irroganda est.* Improbum fœnus vocat, quod est vltra modum præscriptum *in l. eos 26. §. 1 C. de vsuris.* 10.

Sin vero intra modum, tunc quæstionis est; an & hoc casu infamia irrogetur? quod putant Guilhel. de cuneo, Petrus & communiter omnes Doctores, vt testatur Salycetus *in d. l. improbum*, quos & idem Salycetus sequitur, hac ratione motus: quod vsuræ non solum iure Canonico, sed & Ciuili interdictæ sint. De iure Canonico liquet ex titulis Decretalium. de vsuris. De iure Ciuili allegat is *auth. ad hæc C. de vsuris*, quæ tamen contra-

rium apertè probat. Huic quoque sententiæ subscribit Couarr. *variar.resol lib.3.cap.3.num.2.* Sed contra verius & rectius sentit Dominicus Geminianus,*cons.77.num.5.* secutus Glossam, *in d.l.improbum.* Ideo,quod lex pœnalis produci non debeat ad alium casum,quam qui lege comprehensus est. *c.odia,de reg.iur. in 6.l.interpretatione ff.de pœnis.* At. *d.l.improbum*, loquitur de fœnore improbo, hoc est, illegitimo, non permisso à lege. Vnde hæc res trahenda non est, ad vsuras, alio iure prohibitas.

11. Facit quod in simili argumento eleganter disputant Doctores; an pœnæ à iure Ciuili constitutę in contrahentes nuptias incestas;vt sunt,exilium & confiscatio bonorum. *Nouel.12. de incestis & nefarijs nuptijs*, locum obtineant, & in nuptijs quæ tantummodo iure Canonico incestæ sunt, non vero ex præscripto iuris Ciuilis ? Incestas nuptias vocamus, quæ inter cognatos & affines gradu prohibito contrahuntur. *c. nullum cum c.sequent.35. quæstione secunda.* Et quidem de iure Ciuili interdictæ sunt nuptiæ inter fratrem & sororem, item inter fratrem & sororis filiam & neptem. *§.fratris. Instit. de nuptijs.* non vero inter duorum fratrum vel sororum filios & filias. *§.duorum. Inst.d.titulo & l.3.ff.de ritu nuptiarum.* At de iure Canonico, non solum inter hos, sed & inter eorum liberos, vsque ad quartum gradum inclusiue,nuptię prohibitę sunt,*c.non debet,extra.de cōsanguinitate,& affinitate.* Hîc igitur quæstionis est;

an

an eædem pœnæ exilij & confiscationis, quæ à iure Ciuili introductæ sunt, pertineant quoque ad filios & filias duorum fratrum, vel sororum; alioſque ex ijs descendentes vſque ad quartum gradum? Quod putat Didacus Couarr. *ſupra citato loco, & in 4. Decretalium in 2. parte cap. 6. §. 8. numero* 30. Idque ex communi calculo receptum tradit ex Decio, Diaz. *in pract. crimin. canon. c.* 78. Verum contrariam opinionem communiorem, probabiliorem & magis conſonam eſſe veritati, notat ex Follerio Iulius Clarus *in §. inceſtus, numero* 3. addens ex eodem Follerio, quod Decius falſo teſtatus ſit, alteram opinionem eſſe communem. Quare hanc contrariam opinionem, tanquam mitiorem, & benigniorem ſequitur idem Iulius Clarus *iam d. loco.* Ratio deſumitur *ex d. c. odia, & d. l. interpretation.* Et iniquum planè videtur huiuſmodi inceſtum iuris Canonic. ſubijcere pœnis iuris Ciuilis, qui diſerte ab eodem iure à crimine inceſtus exemptus eſt. Vnde idem retinendum cenſeo, & in ſimplici inceſtu, extra nuptias; Vt & hic inter eoſdem cognatos vel affines admiſſus, iuris Ciuilis pœna minimè coerceatur. Et refert Angelus Aretinus *in tractatu de maleficijs, che ha, adulterata la mia dona, numero* 68. Petrum de Anch. conſuluiſſe, in eo qui ante ſecreto concubuerat cum vna ex ſororibus, & poſtea ſororem alteram palam in vxorem duxerat; quod idcirco pœna inceſtus plecti non potuerit.

Nam

Nam vt locus sit pœnæ incestus, affinitas æstimari non debet ex præscripto iuris Canonici, sed iuris Ciuilis, cuius ea pœna est. Quæ certè ad similes casus pertrahenda sunt, qui licet iure Canonico sint interdicti, tamen ideo iuris Ciuilis pœna malè plectuntur, quod iure Ciuili extra crimen sint; Vt ecce, rem magis illustrando, adulterium de iure Canonico non tantum committitur cum vxore aliena, sed & à marito cum quauis soluta muliere, *c.si.32.q.5.& c.fin.extr.de adulterijs.* De iure vero Ciuili nullum inter maritum & solutam adulterium est, nullaque pœna adulterij; sed tantummodo cum aliena vxor adulteratur, *l. inter 6.§. lex Iulia.ff.ad legem Iuliam de adulteris.* Vnde hoc adulterium de iure Canonico perpetratum malè coërceretur pœna iuris Ciuilis.

12\. Ceterum licet vsuræ nulla alia pœna vindicentur à iure Ciuili quam infamiæ, vbi scilicet, legitimum modum excesserint, vel vsuræ vsurarum petantur, *d l. improbum C. ex quibus causis infamia irrogatur*; nihilominus existimo inter Christianos (apud quos omnes vsuræ in crimen vocantur, vtpote, iure Diuino & Canonico damnatæ) rectè extra ordinem vsurarios puniri posse, pro æstimatione iudicis. *ex ratione l.1.§.expilatores.ff. de effractoribus, & l.hodie.13.ff.de pœnis.* Cum vsurarius vix distet à raptore, *c. si quis.14.q.4.* Hodie vero in subiectis Romano Imperio certa pœna vtimur, ex lege posteriorum Imperatorum Caroli Quinti, & Rudolphi Secundi in Comitijs

tijs Auguſtanis Anno M. DC. XLVIII. & Francofurti Anno M. D. LXXVII. *Sub titulo de vſurarijs contractibus*, vt videre eſt ad calcem huius tractatus. vbi eorum conſtitutiones referuntur

Porro diſputationis eſt, an vſura mutuo vel venditioni ſiue alteri contractui in fraudem adiecta, vitietur & ipſe contractus? Hanc rem in controuerſiam adducit Andr. Gail. *lib. 2. obſeruat. 4. & 5.* Sed breuiter reſpondet totum contractum non vitiari, ſed tantum vſurarum adiectionem. Et rectè per *c. vtile 37. de regulis iuris in 6. in l. vſuris 20. in l. pecuniæ. 9. ff. de vſuris, & argum. l. ſancimus 34. C. de donationibus.* quibus locis expreſſum eſt, vtile per inutile non vitiari in contractibus. 13.

CAPVT IX.

De iudice vſurarum.

Summaria.

1. *De iudice vſurarum diſſentio inter Doctores. & num. 3. & 4.*
2. *Quæſtio iuris & facti, quæ dicatur.*
4. *Vſurarum crimen eſſe miſti fori, probatur pluribus rationibus, & num. 5.*

DE iudice vſurarum non conueniunt Doctores; ſunt enim qui exiſtimant cauſam vſurariam 1.

rariam tantummodo pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, quocunque modo de eis iudicium instituatur, hoc est, siue quæstio iuris sit, siue facti.

2. Quæstionem iuris voco, quando controuersia est, vtrũ contractus siue pactio, siue creditoris sola intentio, sit vsuraria: facti, vbi quidem constat eam esse vsurariam, sed de repetitione vsurarum agitur, vel de earum inhibitione. Atque horum sententiam videtur comprobare textus, *in c. dispendiosam, de iudicijs in Clement.* vbi causa vsurarum inter Ecclesiasticas recensetur, *in c. 1. extra, de iureiurando. Mandamus*, inquit summus Pontifex, *quatenus creditores ad iuramenta super vsuris sibi soluendis præstita, relaxanda Ecclesiastica districtione cogatis*, & in c. debitores. 6. extra eodem titulo. *Et cum vsuræ*, ait textus, *solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas, sunt Ecclesiastica seueritate (si necesse fuerit) compellendi.* Idem statuitur *in c. 2. in c. tuas 13. extra. de vsuris.* Nemo vero dubitat quin districtio Ecclesiastica, qualis est excommunicatio, suspensio, interdictum, *c. quærenti 20. extra. de verborum significatione*, ad Ecclesiasticum duntaxat iudicem pertineat, *c. corripiantur. & ibi Glossa 24. quæstione 3. c. 3. extra. de officio iudicis ordinarij.*

3. Alij vero distinguunt inter quæstionem iuris & facti, vt illa ad solius iudicis Ecclesiastici cognitionem spectet: facti vero ad vtrumque iudicem tam secularem quam Ecclesiasticum. Et huius

huius sententiæ sunt Paulus de Leazaris, Barth. alijque communiter, teste Panormitano, *in c. cum sit generale numero 17. extra. de foro competenti.* Eam quoque communem asserit *Didacus Couarruuias in 4. Decretalium de matrimonio, in 2. parte cap.8.§.12. numero 11.* Et ratio est: quia in quæstione iuris, ideo iudex alius adiri non potest quam Ecclesiasticus; quod agatur de peccato, cuius notio non sæcularis, sed solius Ecclesiastici iudicis est, *c. nouit. 13. ext. de iudicijs & c. per venerabilem 13. §. rationibus. ext. qui filij sint legitimi.* vti videre est & in iuramento, quod an licitum vel illicitum sit, seruandum vel non seruādum, tantummodo dignoscit iudex Ecclesiasticus, *c. venerabilē, 34. circa finem, extr. de electione, & d. c. nouit.* At vbi iuramentum licitum esse constat, potest & iudex Ecclesiasticus & secularis adiri, & iurantem compellere ad obseruationem iuramenti; cum hæc res in solo facto consistat, c fi. de foro comp. in 6. & *c. licet. 2. de iureiurando. eod. lib. 1.* Sin illicitum est, neuter iudicum compellere potest: quod illicitum iuramentum nullam obligationem inducat, *c. non est obligatorium, de reg. iuris in 6. c. 1. c. non est obseruandum, c. inter cetera 22. q. 4. c. 1. vers. 1. & talia iuramenta. de iureiurando lib 6. Authen. quod eis C. de nuptijs. & l. conditiones. 9. ff. de conditioni. instit.*

4 Sunt tertij, quibus placet crimen vsurarum esse misti fori, hoc est, tam sæcularis quam ecclesiastici; ac proinde laicum iudicem posse inter laicos de vsuris cognoscere, Ecclesiasticum vero inter

inter clericos. Ita Salycetus, Archidiaconus, Calderinus & Barbatia citati à Did. Couar. *Variar. resolut. lib. 3. cap. 3. circa principium.* Quæ sententia verissima est, & probat *ibidem* Did. Couarr. vsque adeò licèt in quæstione iuris versemur. Idque his rationibus demonstratur. Prima quòd nullibi Sacri canones interdicant secularibus iudicibus, nè de hoc crimine inter laicos cognoscant, imò potius permittunt *per text. in c. post miserabilem 12. ext. de vsuris.* Secunda, quod hoc crimen non magis spirituale sit quam homicidiũ, quàm furtum, aut simile delictum: quæ certum est ad iudicis secularis tribunal pertinere, vbi scilicet, laicus reus est. Tertia ratio; crimen vsurarum ex nullo alio capite potest dici ecclesiasticum quàm quòd sit diuinâ lege & Sacris canonibus interdictum. At nihil impedit quid esse vetitum diuinâ lege & Sacris canonibus, vt tamen eius cognitio ad secularem iudicem spectet, veluti in furto, adulterio, homicidio.

Non mouet, quod vsuræ iure Ciuili permissæ sint, saltem quoad legitimum modum præscriptum in *l. eos 26. §. 1. C. de vsuris*, ac proinde iudicem secularem de ijs restituendis vel præstandis cognoscere non posse; cum in foro suo teneatur ius Ciuile sequi *l. nemo 13. C. de sententijs & interlocutionibus omnium iudicum, & titulo Institutionum, de officio iudicis in princ.* Quia respondetur, hac in parte derogatum esse iuri Ciuili per ius Canonicum, mandante diuina lege, *c. super 4. & c. consuluit.*

consuluit 10.*extr.de vsuris. vt & sup.cap.1. latius docuimus.* Quo fit, vt & iudex sęcularis teneatur hoc ius Canonicum pertrahere ad forum suum seculare, exploso iure Ciuili, quo vsuræ perperam permittuntur, *per text.in c.fi.ext.de præscriptionib. Cum generaliter*, inquit ibi textus, *sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. adde & d.c.licet.de iureiur.in 6.*

Neque ob quæstionem iuris, sęcularis iudex omittere tenetur hanc de vsuris cognitionem, quia & ex iure Ciuili satis elucet quæ sint vsuræ, quibusue casibus committantur, *vt toto tit. ff. & C.de vsuris*: licet, ius Ciuile, vt ante dictum est, perperam admittat certum modum vsurarum. Et hanc sententiam etiam probat Caroli V. constitutio Augustæ in comitijs edita Anno M.D.XLVIII.& postea repetita Francofurti à Rudolpho II. Imperatore Anno M.D.LXXVII. *sub tit.de vsurarijs contractibus*, qua & per magistratum Ciuilem iubentur vsurarij mulctari: de quibus vide infra ad calcem.

5.

Nec obstat; quod de iure Canonico censura Ecclesiastica perstringantur vsurarij, quia id non arguit, vsurarum crimen ad solius ecclesiastici iudicis cognitionem spectare; sed id fit propter denuntiationem Euangelicã, quæ hoc in casu, vt & in ceteris criminibus, fieri potest Ecclesiæ, id est, Ecclesiastico iudici; vt si seriæ eius monitioni peccator non paruerit, tandem censuræ Ecclesiasticæ subijciatur; vt est apud Matthæum, 18.*cap.ibi. Si*

autem peccauerit in te frater tuus & c.iuncto d. c. nouit c.& c.si peccauerit 2.q.1.

Sed neq; illud mouet,quod vbi de peccato cõtrouersia est, non sit iudicis sæcularis dignoscere, sed ecclesiastici. Quia id verum est in re dubia. At vtroque iure exploratum est, vbi & quando vsura committatur: videlicet, cum quid vltra sortem accipitur vel speratur lucri causa: sicut supra cap. primo latius deduximus.

Vnus restat scrupulus *ex d.c. dispendiosam*, quo vt ante dixi,causa vsurarum inter ecclesiasticas recensetur: Sed respondetur,ex eo non planè euinci,quod idcirco tantummodo ad tribunal ecclesiasticum pertineat; sed Clementem V.ibi.hoc vnum spectasse, vt si in foro ecclesiastico causæ beneficiales,decimales,matrimoniales, & vsurariæ, proponerentur,hæ simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicij dirimerentur.Sed hæc latius si lubet, persequere apud Prosperum Farinacium *in praxi criminali lib. 1.tit.1.q.8. nu.134. cum seqq.* vbi post longam contentionem tandem in hac sententia conquiescit ; quamuis & coram iudice ecclesiastico laicum vsurarum nomine conueniri posse censeat, *per Dd. à se allegatos*, quod & non prorsus alienum videtur *à d.c. dispendiosam.*

DE

DE CENSIBVS SIVE REDITIBVS ANNVIS.

Ad Lectorem.

HVNC *tractatum de censibus siue reditibus annuis, ideo hic subiecimus, quod magnam illi affinitatem habere videantur cum vsuris; imo sunt, qui eos nihil distare existimant ab vsuris, sed tantum esse speciem quandam siue prætextum, vsuras liberius exercendi. Quorum argumenta infra suo loco recensebimus & refel-*

lemus, probabimusq; per emptionem & venditionem, & consequenter per contractum bonæ fidei rectè constitui censum, siue reditum annuum. Sed an etiam per alium contractum, siue in vltima voluntate idem effici possit, in progressu quoque videbitur. Quia vero, quo ad emptionem & venditionem, extant duæ Decretales Martini V. & Calixti III. summorum Pontificum sub titulo de emptione & venditione inter Extrauagantes communes, non abs re fore iudico, si suis verbis hic præmittantur, deinde qua potest breuitate explicentur.

Mar-

Digitized by Google

Martinus V. venerabilibus fratribus Treuirensi, & Lubecensi ac Almicensi Episcopis.

Regiminis vniuersalis Ecclesiæ quanquam immerito, dispon ẽte Domino præsidentes, curis angimur assiduis, vt iuxta creditæ nobis dispẽsationis officium subditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus, & dubia quæ inter eos oriuntur pro tempore, ne litis anfractum, seu scandalorũ parturiant fomentum, nostro moderamine declarentur. Sane petitio dilectorum filiorum vniuersorum, Cleri, nobilium, incolarum & habitatorum ciuitatis & diœcesis Vratislauiensis nobis exhibita continebat, quod à centum annis citrà & suprà, & à tanto tempore & per tantum tempus, cuius contrarij memoria hominum nõ existit: in ijsdem ciuitate ac diœcesi, ac partibus alijs vicinis quædam consuetu-

do rationabilis obseruata, præscripta ac moribus vtentium approbata, ad communem hominum vtilitatem introducta fuisset: Pro quibus Princeps, Baro, miles, ciuis, siue oppidanus partium earundem, cum hoc expedire videbatur. melius pro tunc, non valentes sibi consulere; personæ Ecclesiasticæ aut seculari, collegio aut vniuersitati, oppido, vel ciuitati, super bonis suis, dominijs, oppidis, terris, agris, prœdijs, domibus, hæreditatibus, vendere consueuit, & vendidit annuos census, vnius vel plurium marcarũ aut grossorũ Pragensium numi polomei & pagamenti cõsueti; ad rationẽ & pro qualibet marca, annui census decem, vndecim, tredecim, quatuordecim marcæ, aut plus vel minus secundum temporis qualitatẽ, prout ipsi contrahentes tunc inter se conuenerãt, ipsi venditori tunc integraliter in pecunia numerata solui consueuerant, bonis in ipso contractu tunc expressis pro ipsius census annui exsolutione in perpetuũ obligatis: & semper in ipsis contracti-

bus

bus expresse ipsis venditoribus data fuit facultas atq; gratia, quòd ipsum annuũ censum in toto vel in parte pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt, quandocunq; vellent, liberè absq; alicuius requisitione, cõtradictione vel assensu possent extinguere & redimere, ac se ab ipsius census solutione ex tunc penitus liberare. Sed ad hoc huiusmodi census venditores inuiti nequaquã per emptores arctari vel astringi valerent, etiam ipsis possessionibus & bonis obligatis penitus interéptis seu destructis. Fuitq́; & est talis cõtractus emptionis & vendit. per Episc. Vratislauien. pro tépore existentes & eorũ officiales, nec non per diuersos dominos téporales locorum & terrarum, in quibus census huiusmodi constituti existunt, tanquam licitus communi vtilitati deseruiens, sæpius confirmatus pariter & approbatus. Quodq́; etiam super huiusmodi censibus plurima beneficia ecclesiastica, collegia, canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus & officia, vi-

cariæ, altaria, numero plusquàm duo millia de expresso consensu & volūtate dominorum temporaliū, sub quorū territorijs dicta bona obligata cōsistunt; erecta, dotata & fundata, authēticis eorūdem dominorum temporalium litteris, sigillis, sigillatis & roboratis fore noscūtur. Quodq; etiam venditores eorundē censuum, se nonnunquam ad ipsorum censuum solutionem, pœnis, & censuris Ecclesiasticis Ordinariorum locorum sponte & libere submiserunt, sicuti etiā aliqui eorū, tractu temporis compulsi fuerunt & compelli consueuerunt: Tamen nōnulli ex venditoribus ipsis in arcum prauum conuersi, cupientes cum alterius pecunia locupletari, huiusmodi census hucusque per eos antea liberè & absque vlla contradictione solutos, eisdem emptoribus tam ecclesiasticis quam sæcularibus soluere contradicunt & recusant, confingentes huiusmodi emptionis & venditionis contractus fore & esse vsurarios & illicitos, ipsos emptores ecclesiasticos

&

& sæculares, nec non collegia, canonicatus, & præbendas & dignitates, personatus & officia, Vicarias & altaria, ac beneficia huiusmodi ipsorum annuorum censuum spoliant perceptione, & detinent spoliatos in animarum suarum periculum, eorumque emptorum præiudicium, damnum & grauamen: Et propterea an contractus emptionis & venditionis huiusmodi, licite existant à nonnullis hæsitatur. Quare pro parte eorundem cleri, nobilium, incolarum, & habitatorum ciuitatis & diœcesis Vratislauiensis, nobis fuit humiliter supplicatum, vt, an contractus huiusmodi, liciti, vel illiciti censeri debeant, declarare, & alias eis in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, quia etiam ex relatione dilecti filij nostri Guilhelmi tituli Sancti Marci presbyteri Cardinalis, cui negotium huiusmodi cum peritorum consilio commisimus, examinandum, comperimus; contra-

ctus huiusmodi iuridicos, & iuxta determinationem Doctorum licitos fore. Ad huiusmodi ergo ambiguitatis tollendum dubium, in præmissis præfatos contractus licitos & iuri communi conformes, ac ipsorum censuum venditores ad illorum solutiones (remoto contradictionis obstaculo) obligari, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa scientia declaramus: Non obstantibus præmissis ceterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Volentes, quod prædictæ literæ nostræ debitum sortiantur effectum, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, vel vnus vestrum per vos, vel alium seu alios præfatis emptoribus in præmissis oportuni fauoris præsidium

effi-

efficaciter impendentes, dictasque literas vbi, quando & quoties expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis eadem auctoritate eisdem emptoribus vel ipsorum procuratoribus eorum nominibus, per venditores seu debitores censuum huiusmodi, de præfatis censibus iuxta contractuum & conuentionum inter ipsos habitorum, formam & tenorem, plenam & debitam satisfactionem impendi: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspédi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos VI. nonas Iulij, Pontificatus nostri Anno octauo.

Cali-

Calixtus III. Episcopo Magdeburgen. Nuremburgen. & Halberstaden. ecclesiarum Decanis.

REgimini vniuersalis Ecclesiæ quanquam immeriti disponente Deo præsidentes, curis angimur assiduis; vt iuxta nobis crediti dispensationem officij subditorum quorumlibet paci & quieti (quantum nobis ex alto conceditur) intendamus, & dubia quæ inter eos oriuntur pro tempore (ne litigium anfractus exinde seu scandala proueniãt) debito (prout iustitia suaserit) declarationis nostræ ministerio sopiantur. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Ioannis Episcopi Mersburgensis, & dilectorum filiorum vniuersi cleri, ciuitatis & diœcesis Mersburgen. nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod licet à tanto tempore cuius initij memoria, non existit, in diuersis Alemaniæ partibus, pro communi hominum vtilitate,

inter

inter habitatores & incolas, partium earundem, talis inoleuerit hactenusq; obseruata fuerit legitime præscripta, ac moribus vtentium & ordinariorum permissione, & plerumque expressa ratificatione, approbata consuetudo: Quod ipsi habitatores & incolæ, siue illi ex eis, quibus id pro suis, statu & indemnitatibus expedire visum fuerit, super eorum bonis, domibus, agris, prædiis, possessionibus & hereditatibus, annuos marcarum, florenorum, seu grossorum monetæ in partibus illis currentis, reditus seu census vendentes, pro singulis ex marcis, florenis, seu grossis, huiusmodi ab eis qui illas vel illos siue reditus, siue census ipsos emerint, certum competens precium in numerata pecunia, secundum temporis qualitatem, prout ipsi venditores & ementes in contractibus super his inter se firmauerunt & recipere soliti fuere, illa ex domibus, terris, agris, prædiis, possessionibus, & hæreditatibus prædictis, qui in huiusmodi contractibus expressi fuerunt

runt, prædictorum solutione redituum & censuum efficaciter obligantes, in illorum vendentium fauorem: Hoc adiecto; quod ipsi pro rata qua huiusmodi per eos receptam dictis ementibus restituerét in toto vel in parte pecuniam, à solutione redituum siue censuum huiusmodi restitutam pecuniam contingentium, liberi forent penitus & immunes. Sed ijdem ementes etiamsi bona, domus, terræ, agri, possessiones & hæreditates huiusmodi, processu temporis ad omnimodæ destructionis siue desolationis reducerétur opprobrium, pecuniam ipsam etiam agendo, repetere non valerent. Apud aliquos tamen hæsitationis versatur scrupulus, an huiusmodi contractus liciti sint censendi. Vnde nonnulli illos vsurarios fore prætendentes; occasionem quærunt reditus & census huiusmodi ab eis debitos non soluendi. Quare pro parte Episcopi & cleri prędictorum asserentium, quod in talibus hic emptis censibus & reditibus, fructus, reditus, & prouentus plu-

plurium ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium & ecclesiasticorum beneficiorum, ciuitatis & diœcesis ac partium prædictarum, necnon fere omnes quotidianæ distributiones, quæ in plerisque ex ecclesiæ ipsis diuinis interessentibus, ministrari solent, consistere noscuntur: nobis fuit humiliter supplicatum, vt super his Apostolicæ sedis declarationis oraculum impertiri & adijcere paterna dilectione curaremus. Nos igitur huiusmodi in hac parte supplicationibus inclinati & factas ex commissione felicis recordationis Martini Papæ V. prædecessoris, desuper examinationem, & eiusdem prædecessoris nostri declarationem attentius perstringentes, suisq; vestigiis inhærentes, ad omne super his ambiguitatis tollendum dubium, præfatos contractus licitos iurique conformes, & vendentes eosdem ad ipsorum solutionem, censuum & redituum, iuxta dictorum contractuum tenores (remoto contradictionis obstaculo) efficaciter teneri, au-
ctori-

ctoritate Apostolica præsentium serie declaramus. Nulli ergo, &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCLV. pridie nonas Maij. Pontificatus nostri Anno primo.

CAPVT X.

In prædictas Extrauagantes de censibus seu reditibus annuis.

Summaria.

1. *Argumenta contra has Extrauagantes refelluntur.*
2. *Reditus annui cur census vocentur.*
3. *Facti species harum Extrauagantium breuiter contracta.*
4. *Contractus censualis æquitate nititur & iure communi.*
5. *Obiectio tollitur, quod hic contractus sine re consistat.*
6. *Referuntur Auctores, qui hunc contractum improbant.*
7. *Argumenta contra hunc contractum dissoluuntur.*
8. *Hotomanni argumenta refelluntur.*

Ex

EX his Decretalibus Martini V. & Calixti III. passim à Theologis & vtriusque iuris Doctoribus defendi solent, & quidem rectissime; annuorum redituum emptiones, & venditiones, quibus nihil fere hodie frequentius. Nec contra audiendi sunt, qui negant has Decretales authenticas esse, eo quod Corpori iuris Canonici, id est Decretalibus Gregorij IX. Bonifacij VIII. Clementis V. & Decreto Gratiani non sint insertæ, ac proinde ex eis certum argumentum deduci non possit: vt hinc Extrauagantium nomen adhuc retineant, quasi extra Corpus Canonicum incerta sede vagentur; quibus & idcirco non semper fides adhibenda est, vt probat textus *in ca. pastoralis. 8. extrà. de fide instrumentorum.* aut si forte fides eis adhibenda sit, eam tamen non generalem esse oportere, sed localem, hoc est, tantum ad eos pertinere, ad quos hæ decretales directæ sunt. Quorum sententia facile refellitur *ex eodem c. pastoralis*, vbi Innocentius III. Summus Pontifex de Extrauagantibus in genere consultus, rescribit minime eas repudiandas esse quæ cum iure communi conueniunt. At vero has decretales iuri esse conformes, constat ex contextu earum, videlicet Martini V. in verb. *comperimus contractus huiusmodi iuridicos*, & Calixti III. ibi, *iurique conformes*. Quod & infra latius demonstrabitur. Sed & Gregorius XIII. immortalis memoriæ Summus Pontifex in epistola decreto Gratiani præfixa, has Extrauagantes pro authenticis agnouit;

1.

uit, licet retento nomine Extrauagantium; quod tamen eis nihil officit, vt iam dictum est.

Qui vero eas locales esse volunt, ideo hallucinantur, quod nouam constitutionem non contineant, sed declarationem tantum contractus censualis, an is sit licitus & à iure communi permissus. Quare his submotis, ad ipsas Decretales regrediamur; ex quibus dixi rectissime defendi annuorum redituum emptionem & venditionem.

2. Vocantur autem hi reditus vulgo census, quemadmodum & in his Extrauagantibus, diuerso tamen modo quam in decretalibus Gregorij IX. *sub titulo de censibus, & tit. ff. de censibus, & Cod. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.* Nam in ijs locis census pro pensione siue tributo accipitur, quod vel ratione personæ, vel rerum, alteri soluitur: sicut olim apud Romanos, qui extra Italiam in Prouincijs degebant censum, id est, tributum capitis & soli, inferebant Principi vel populo Romano: exceptis ijs qui beneficio Principis essent ius Italicum consecuti. *l. fin. ff. de censibus.* Ad cuius similitudinem videtur hic census introductus; cum nihil aliud designet, quam ius exsoluendi pensionem siue reditum annuum, per contractum emptionis & venditionis constitutum. Proinde longe is distat ab vsura, quæ proprie ex mutuo vel quasi prouenit salua sorte: quod non est in emptione & venditione in qua sors, id est, precium amittitur & venditori sine

spe

ſpe repetitionis applicatur. Sed facti ſpeciem vtriuſque Decretalis hic breuiter perſtringamus:

Inoleuerat conſuetudo vltra centum annos & hominum memoriam in ciuitate & diœceſi Vratislauienſi & vicinis locis, quod Princeps, Baro, miles, ciuis, alijque incolæ, pecunia numerata & integre recepta, annuos cenſus ad rationem vnius groſſi, ſiue marcę, pro 10. 11. 13. 14. ſiue etiam pluribus vel paucioribus, iuxta temporis qualitatem & conuentionem partium, vendiderant: bonis in ipſo contractu tunc expreſſis, & pro ipſius cenſus annui exſolutione in perpetuum obligatis. Adiecto tamen pacto, vt libera maneret facultas venditori, ipſum annuum cenſum vel in totum vel pro parte refuſo cenſus precio, quandocunque redimendi & extinguendi: Inuitus tamen venditor ad id conſtringi non poſſet ab emptore etiam peremptis bonis, pro eodem cenſu obligatis. De hac igitur conſuetudine, cum aliquando dubitatio incidiſſet propter venditores cenſuum, qui huiuſmodi contractum vſurarium eſſe obtendebant, & idcirco ſolutionem ſubterfugiebant; conſultus S. Pontifex Martinus V. reſcribit hac decretali ſua; tales contractus cenſuales eſſe licitos, & iuri communi conformes; venditoresque ad eorum ſolutionem adſtrictos eſſe. Idem & Calixtus III. ab Epiſcopo Mersburgenſi & eius clero aditus, reſpondet. Hæc breuiter vtriuſque decretalis ſententia eſt.

3.

Vbi in primis animaduertendum eſt, quod

vtriusque Pontificis decisio siue potius declaratio, non nitatur allegata consuetudine locorum (siquidem consuetudo, si alias vsurarius esset hic contractus, non posset eum facere non vsurariũ, sed magis augeret eius crimen, *c. fin. extr. de consuetudine.*) Sed contractus naturam respicit; quod scilicet, is æquitati & iuri communi conueniat, sicut constat ex prioris decretalis §. *Quare pro parte eorundem*; & posterioris vers. *Nos igitur huiusmodi, &c.*

Quod autem hic contractus censualis licitus & iuri conformis sit, liquet ex eo, quod sit merus contractus emptionis & venditionis, iure gentium comprobatus & receptus. *l. ex hoc. 5. ff. de iustitia & iure, & §. ius autem gentium. Instit. de iure naturali, gentium.* Nam sicut in alijs rebus emptio & venditio recte contrahi dicitur; vbi de precio rei conuentum est. *l. nec emptio. 8. cum l. seq. ff. de contrah. emptione. & tit. Instit. de empt. & vend. in princ. & § precium.* ita & in hoc contractu censuali, in quo res quæ venit (vulgo mercem appellant, sed inepte, cum mercis nomine tantummodo contineantur res mobiles. *l. mercis. 66. ff. de verb. signif.* annuus vero reditus siue census, inter res immobiles recenseatur *in ca. exiui, §. cumque annui. de verb. signif. in Clement.*) Dico igitur res quæ venit in hoc contractu, est ipsa obligatio præstandi censum annuum. precium vero, certa pecuniæ quantitas vtrinque conuenta; quæ cum veram emptionem & venditionem constituant, dubi-

dubitare non conuenit, quin & hic contractus natura sua licitus sit.

Nec mouet quod in his Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. multæ & variæ conditiones exprimantur, vltra iustum precium & obligationem: quia illę ad essentiam huius contractus non pertinent. Sed ex pactione adiectæ sunt: vti alias solet fieri in omnibus contractibus. *l. iurisgentium. 7. §. quinimo. & §. adeo. ff. de pactis. l. pacta nouissima. 12. l. in bonæfidei. 13. l. pactum. 17. cum similib. C. de pact. & tot. tit. C. de pact. inter empt. & vendit.* Et hoc cum sit, dicitur contractus legem recipere ex conuentione. *l. 1. §. si conueniat. ff. depositi, & l. contractus. ff. de reg. iuris.*

Sed obijciunt quidam, nullam esse huius rei emptionem & venditionem, quod sine re constare non possit emptio & venditio. *d. l. nec emptio. in princ. ff. de contrah. empt.* At in contractu censuali emitur census antequam constitutus sit. Verum respondetur, non solum rei exstantis, sed & futuræ emptionem & venditionem recte fieri; veluti, cum partus vel fructus futuri emuntur, item cum captus piscium vel auium vel missilium emitur; vt idem text. *in d. l. nec emptio, & in l. si iactum. 13. ff. de actionib. empti.* aperte testatur. Nam & vsufructus ceteræq; seruitutes per emptionem recte inducuntur & constituuntur. *l. necessario. 8. §. fin. ff. de periculo & commodo rei venditæ, & §. si quis velit. Inst. de seruitutib.* Et profecto, si vsusfructus recte emitur *d. §. fin.* nihil impedit, quin 5.

& census annuus eadem ratione recte ematur, saltem in fructibus consistens, §. *quoniam. vers. licebit. Nouel. 72. vt hi qui se obligat. habere perhibent.* Quod si in fructibus id receptum est, cur non item in pecuniæ reditu? Sicut euenit & in prædijs locatis, quę annuum reditum in pecuniaria pensione præstant. *l. si in l. 27. §. si domus. cum §. seq. & l quæro. 56. § inter locatorem. ff. locati. l. licet. 8. C. de locato. & c. 3. extra. eodem tit.* Adde etiam Nouellam Iustin. 160. in fine, quæ extat inter Nouell. è Græco in Latinum conuersas à Gregorio Holiandro, in qua manifeste hic contractus à contractu mutui & vsurarum, distinguitur, quemadmodum etiam animaduertit Didac. Couar. *var. resol. lib. 3. c. 7. n. 2.*

Vt hinc recte censeant Doctores, annui census siue reditus emptionem & venditionem licitam & inculpatam esse; quos longa serie recenset *Andr. Tiraquellus. de retractu consanguineorum §. 1. Glossa 6. nu. 15. & And. Gail. lib. 2. obs. 7. nu. 5.* Adeo, quod pulchre asserat idem Andreas Tiraquellus, hanc sententiam transijsse in rem iudicatam, hoc est, nulla amplius ratione impugnari vel retractari posse; dum tamen fraus absit, & interueniat iustum precium: Quod & quale sit infra dispicietur.

6. Referunt quidem, Did. Couar. *d. c. 7. n. 7. vers. quinto.* & Binsfeld. *in c. in ciuitate. q. 12. ext. de vsuris. Salycetum in Auth. adhæc. in fine. C. de vsuris. Henricum Gandauensem, quodlib. 7. q. 22. & Gregor. Arimine-*

minensem apud eundem Salycetum eosdemque grauissimos & doctissimos viros, hunc contractum censualem improbasse, quemadmodum & de Innocentio & Ioan. Andreæ testatur Gregor. de Valentia *tom. 3. commentar. Theologor. disp. 5. qu.22. puncto 1. de censibus.* Sed minus recte referunt de Salyceto & Gregorio Ariminensi, vt testatur lectio ipsius Salyceti, quæ de alia specie loquitur. Innocentius vero & quem iisdem verbis recitat Ioan. Andreæ *in d. c. in ciuitate. extra. de vsuris*, non damnant hunc contractum, sed tantummodo consulunt ab eo abstinendum esse.

Nihilominus solent à plerisque moueri argumenta aduersus hunc contractum censualem, non quidem ad infringendum eum, sed ad excutiendam & illustrandam rei veritatem: Cum vt dici solet, disputando magis eruatur & elucescat veritas: Nisi quod solus Fran. Hotoman. odio & inuidia magis, vt videtur, incitatus in Romanum Pontificem hanc Extrauagantem Martini V. & consequenter etiam Calixti III. serio, sed frustra oppugnare & conuellere conatus sit, vt infra paulo post demonstrabitur.

7. Igitur hæc sunt præcipua argumenta, quæ aduersus annuum censum siue reditum, moueri solent.

Primum, quod pecunia natura sua sterilis sit, hoc est nullum fructum ex se producat, sed potius vtendo consumatur, *§. constituitur. Inst. de vsufructu.* Ergo quod eius ratione percipitur, lucrum

est,id est,vsura.*c.fin.* 14.*q.*3 vbi his verbis text. *Vsura est, vbi amplius requiritur, quam datur: verbi gratia, Si dederis solidos* 10. *& amplius quæsieris, vel dederis frumenti modiũ vnum, & super aliquid exegeris.*

Non igitur census, qui singulis annis currit & recurrit emolumentumque adfert, licitus est, sed vsurarius. Verum huic facile occurritur, quod argumentum recte procedat in contractu mutui, qui cum stricti iuris sit, non venit in eo aliud præstandum, quam quod mutuo datum est, etiamsi per pactum aliud quid adiectum sit. *l.rogasti.*11.*§.sed si decem dedero. ff.si certum petatur.* Per stipulationem valet quidem vsurarum adiectio, de iure Ciuili, tanquam ex noua & diuersa causa obligationis.*l.*3. *Cod.de vsuris.* non tamen de iure diuino & Canonico, quo & hæc stipulatio vtpote vsuraria, plane reijcitur & damnatur, *per textum in c si fœnerauer is.* 14. *qu.*3.*& cap.consuluit.*10. *vers. verum quia.ext. de vsuris. cum similib.* Aliud est in emptione & venditione, quæ bonæ fidei est & omni iure permissa etiam cum emolumento: alioqui nec prædium liceret emere, fructuum eius percipiendorum & lucrandorum causa. Quod absurdum foret.

Secundum argumentum: In hac emptione & venditione census videtur, si non verũ mutuum saltem fictum siue interpretatiuum versari, in quo æque lucri accessio interdicta est atq; in vero mutuo.*c.ad nostram.* 5. *extra. de empt. & vendit.c. illo.*4.*extra.de pignoribus.& c.in ciuitate.*6.*extra.de vsuris.*

vſuris. Vt enim in contractu mutui tenetur debitor eiuſdem generis pecuniam reſtituere. *l.2.ff. ſi certum petatur*. Sic & in hoc contractu venditor, ſi cenſum à ſe ante conſtitutum, velit redimere: Ita quod vtroque caſu maneat creditori ſors ſalua vna cum lucro, donec ſors à debitore vel eius ſucceſſore refundatur. Sed & huic reſpondetur, quod in hoc contractu cenſuali nullum ſubſit mutuum vel verum vel fictum, ſiue interpretatiuum. Siquidem vt recte tradit Didac. Couarr. *lib.3. variar. reſolut. cap.7. verſ. ſecunda ratio* : in mutuo cogitur quis ſortem ſoluere, quia ea eſt in obligatione; nō autem in hoc contractu, venditor qui cenſum conſtituit, compellitur ſortem reſtituere; cum ea non ſit in obligatione, ſed tantum præſtatio cenſus annui, quem interim lucratur emptor, donec eadem pecunia qua cenſus emptus eſt à venditore vel eius ſucceſſore reddatur, ſicut accidit & in emptione fundi, adiecta lege reuenditionis ſiue reſtitutionis, *l.2.C. de pactis inter emptorem & venditorem.* Nemo autem hanc legem venditioni fundi appoſitam ideo iuſte reprehenderit, quod interea dum redimitur vel reſtituitur fundus, emptor fructus eius percipiat, & in commodum ſuum conuertat.

Tertium argumētum eſt; quod hic contractus annui cenſus videatur præbere occaſionem otioſis hominibus impune graſſandi in alienas opes, dum ne incidant in crimen vſurarum & eius pœnas, ad hunc contractum confugiunt, lucrum in-

terdum certius ex eo quærentes, quam si fœnō-r, pecuniam suam exposuissent: quorum malitiæ minimè indulgendum est, *d.c.ad nostram.extra.de empt.& vendit. & l.in fundo 39. circa fin. ff. de rei vendicat.* Cum & vulgata iuris regula illis refragetur: *Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti c.cum quid vna. de reg. iur.in 6.*

Sed & huic argumento rectè occurritur: nos non probare insanam hanc otiosorum hominum mentem in fraudem vsurarum conceptam: nihil tamen prohibere, si vt rationibus suis ipsi magis consulant, hoc contractu censuali à iure permisso vtantur ad compendium suum. Cum nemo censeatur dolo facere, qui suo iure vtitur *l. nullus videtur. ff. de regulis iuris.* Etenim si hoc admissum est in emptione prædij, cur non similiter & in emptione census annui: nisi quod fundi empti periculum ad emptorem spectet. *§.cum autem Institut.de emptione & venditione, l.1.Cod.de periculo & commodo rei venditæ, cum similibus.* non autem in venditione census, in quo emptoris nullum tale periculum vertitur si naturam huius contractus inspiciamus, cum in eo persona venditoris principaliter ad præstandum censum obligetur, & securitatis causa adijciatur fundus vel aliud prædium. Quamuis hodie ex constitutione Pij Quinti idem statutum sit, & in emptione census, quod in prædio empto, vt scilicet, & in illa prædium census nomine obligatum sit

periculo

periculo ipsius emptoris.de quo fusius infra. Nec impedit d.iur.reg.*Cum quid vna,&c.* quia ea exaudienda est,quo ad id quod principaliter lege prohibetur,secus si in modo aut in via,prohibitio sit: tunc enim interdictum non est,alio modo aut via legitima rem institui & confici, quemadmodum videmus in hereditate quę licet pactione alteri relinqui non potest,testamento tamen potest, tanquã via legitima. *l.hereditas* 5.*C.de pactis conuentis,& l.licet* 19.*C.de pactis.* Eodem modo,etsi creditori permissum non sit captare lucrũ ex contractu mutui,tamen ex contractu emptionis & venditionis ipsi licet. vti liquet ex his Extrauagantibus.

Quartum argumentum est; quod iniquum videatur,vt secundum has Extrauagantes constitui possit census annuus vnius grossi aut floreni, pro precio decem vel vndecim grossorum siue florenorum, cum non solum id aduersetur sanctionibus Imperij, quæ in singulos florenos viginti, vt minimum, precij loco requirunt; & sic centum in quincunces annuos, sicut videre est in Recessibus Imperij celebratis Anno Domini 1530. & 1548. quæ recitantur infra ad calcẽ huius tract. verum etiam repugnet moribus siue constitutionib.aliarum prouinciarum.Nam vt testis est Nauarr.*in tractatu de vsuris,nu.*104. in Aragonia itidem quinque in centum imputantur, in regno Nauarræ sex, in regno Castellæ 7. vti & Romæ communiter. Sed cum addat *ibidem* Nauarrus in quibusdam partibus Galliæ constitui censum ad

rationem

rationem decem pro centum, mirandum non est, si & in Vratislauiensi diœcesi alijsq; locis quorum meminerunt Extrauagantes nostræ, consuetudine receptum sit, vt pro decem vel vndecim, vel quatuordecim, vnum quotannis soluatur. Cuius rationem idem Nauarrus adfert; quod precia pro varietate gentis, terrarum & temporum, pro copia vel penuria ementium, vel vendentium, aut mercium, pecuniæ numeratæ variari solent per textum *in l. precia rerum. ff, ad legē falcidiam.* Adeo quod iustitia huius contractus censualis, non ex precio vnius aut alterius prouinciæ, sed ex lege siue consuetudine singulorum locorum æstimari debeat.

8. Ceterū videamus argumenta Francisc. Hotomanni contra has Extrauag. Is *lib. 2. obseru. cap.* 15. negat contractum censualem dici posse emptionem, eo quod emptio sit ex eorum numero, quæ solo consensu contrahuntur. At vero censualis contractus re contrahitur: cum antequam numerata sit pecunia, nullam obligationem inducat. Secundo, in emptione & venditione, vltro citroque obligatio nascitur; sed in hoc contractu, is duntaxat cu i fundus traditur, astringitur. Tertio, in emptione & venditione contrahenda, res quāti est, in solidum æstimatur, hic autem non fundus sed eius tantum annuus prouentus æstimatur.

Sed respondetur ad Hotomanni primum argumentum; quod & hic contractus solo consensu ineatur, vt in ceteris emptionibus; neque requiri

quiri necessario pecuniam ante numeratam esse, quam inducatur obligatio; cum hoc nullo iure cautum sit; nisi quod Extrauagantes nostræ tantum ex facto proposuerint, pecuniam tempore contractus numeratam fuisse: quod ad iuris necessitatem nequaquam pertrahendum est. Tametsi verum sit eam obligationem sine effectu esse, donec pecunia annumerata sit. Verum & id commune est ceteris emptionibus, *l. Iulianus* 14. §. *offerri, ff. de actionibus empti.*

Quo ad secundum argumentum, quis non videt ex hoc contractu etiam vtrinque obligationē nasci? Nonne ex parte emptoris, vt pecuniam prius numeret, quam agere possit ad præstationem census *d. §. offerri*? Ex parte vero venditoris; nonne vt hic persoluto ab emptore precio, censum decurso anno pendat?

Fallitur Hotomannus, cum addit eum cui fundus traditur tantummodo astringi: Cum in hoc contractu nulla fundi traditio fiat, sed hypothecæ tantummodo loco obligetur fundus, apud venditorem ipsum remanens.

Ad tertium argumentum, quod scilicet, in emptione res quanti est in solidum æstimetur; hîc autem solummodo prouentus eius. Quid ergo? non igitur emptio & venditio est. Planè inepta est hæc consequentia. Obligatio in personam emitur, tanquam ius aliquod incorporale, cum accessione hypothecæ.

CAPVT

CAPVT XI.

De modis siue conditionibus contra-ctus censualis.

Summaria.

1. *Conditiones in Extrauagant. an necessariæ sint in omni contractu censuali.*
2. *Censualis contractus an personalis absque pignore constitui possit.*
3. *Pij V. constitutio de censu annuo.*
4. *Conditiones Pij V. ad constituendum censum annuum.*
5. *Qui annui census per eam reijciantur.*
6. *Cur huiusmodi conditiones requisitæ, & nu. 7.*
8. *Casus à Binsfeldio relatus, non valdè dißimilis ab Extrauag. & defensus.*

1. POrro accedēdo propius ad easdem Extrauag. animaduertendum est Martinum V & Calixtum III Summos Pontifices apertè non decidisse, an in quolibet contractu censuali necessario requirantur omnes conditiones in eis expressæ; sed tantum ex facto consultos de certa specie contractus rescripsisse: cuius conditiones breuiter hæ erant, vt ex ipsis Extrauagantibus colligitur. Prima, quod bona certa assignarentur & obligarentur pro exsolutione census. Secunda, quod precium census conuentum integrum numeraretur. Tertia,

Tertia, quod venditori facultas relinqueretur totum vel partem censũs, quando & vbi sibi videretur, redimendi. Quarta, quod venditor ad reluendum censum non adstringeretur. Quinta, quod bonis obligationi subiectis & peremptis, census quoque perimeretur.

Vnde non immerito in dubium vocatur, an in qualibet constitutione censũs prædictę conditiones omnes necessario exigantur.

Quod videntur velle Martinus Nauarrus *d. tract. de vsuris num.72.* & Petrus Binsfeldius *in c. in ciuitate, post recitatas à se has Extrauagantes 2. conclusione. ext. de vsuris.*

2. E contra Dominicus Soto *de iustitia & iure lib.6 q.5. art.1.* existimat nullam harum conditionum necessariam esse præter hanc, iusti precij, & ne venditor cogi possit ad redimendum censum. Quam sententiam tuetur, & Did. Couarr. *variar. resol lib.3. cap.7. num.5.* Vbi iure verius esse censet, annuum reditum pecunia soluendum etiam cum pacto redimendi, constitui posse solum obligatione personali absque vlla bonorum assignatione & hypotheca, siue illa generalis, incerta siue specialis sit. Quo loco etiam huius sententiæ suffragatores citat Conradum Molinæum, & Dominicum Soto, sed hunc postremum, vitiose, *art.5.* cum sit *art.1.* à nobis iam antè citatus. Eandem sententiã attestatur Andr. Gail, *lib.2. obseruat.7. numero* 13. generali passim consuetudine receptam esse. Atque adeo in Camera Imperiali comprobatam.

Sed

Sed videamus, quibus iuribus & rationibus ea confirmetur. Nec enim res exigua est, in re tanti momenti & quotidiana dubitanter versari. Et quidem Did. Couarr. *d nu.* 5. eam his argumentis adstruere conatur. Primò ex his Extrauag. Mart. V. in vers. *sed ad hoc*, & Calixti III. in vers. *sed & ijdem ementes*, dum vult ex his colligi, quod peremptis bonis super quibus census constitutus est; nihilominus saluam manere obligationem census, licet venditores cogi non possint ad refusionem precij pro censu numerati, quia ea per exceptionem rei peremptæ excluditur. Nihil ergo impedit quin ab initio in persona venditoris census possit constitui.

Secundum est, quod possit quis alteri donare pensionem annuam nulla alia obligatione quam personali; *per tex. in l. sancimus* 24. §. *fin. cum l. seq.* §. *si verò reditum. iuncto* §. *seq. vers. in reditibus. C. de donationibus. & in l. fundus* 9. *ff. de annuis & menstruis legatis.* Ergo etiam constituto & numerato precio: cum nulla diuersitatis ratio reddi possit. Sed Nauarrus. *d. tract. num.* 70. hanc diuersitatis rationem dat, quod in constitutione census per donationem nulla possit esse fraudis vsurariæ suspicio, secus, si per pecuniam constituatur. Ego certè non video, cur reditus annuus æquè constitui non possit per emptionem, atque per donationem, cum vterque contractus vtroq; iure permissus sit.

Tertium

Tertium est, quod quis possit locare operas suas certa mercede constituta. *l. in operis 29. & l. qui operas 41. ff. locati.* Ergo etiam ius soluendi censum ex persona sua. Neque ob id libertas personæ læditur, vt perperam existimat Nauarrus *sæped. tract. num* 8. cum omnes obligationes personales non nisi in liberis hominibus constituantur, quibus se liberare & eximere possunt soluendo vel aliter satisfaciendo creditori, *tit. Instit. in princ. quibus modis tollitur obligatio, & l. solutionis 54. ff. de solutionibus.* Alias debitores salua etiam libertate, in carcerem detruduntur : nisi bonis cesserint, *l. 1. C. de his qui bonis cedere possunt.*

Quarto, argumẽtatur Couarr. ex natura ipsius contractus. Nam, inquit, si naturam eius spectemus proculdubio obligatio ad solutionem annui census, personalis est, fundus vero vel alia res in qua fundatur census accessoriè adijcitur iure pignoris vel hypothecæ, vt eo magis consultum sit emptori census, *d. l. fundus 9. & ibi Barth. ff. de annuis & menstruis legatis.* Ideoque re ipsa extincta perseuerat nihilominus obligatio personalis ad annui census solutionem, *l. creditor qui nõ idoneum 28. ff. si certũ petatur. l. aduersus 10. C. de actionib. & obligat. l. quamuis 8. C. de pignorib.* Atque hæ sunt rationes Didac. Couarr. quibus putat euinci posse, annuum censum in sola venditoris persona posse constitui; quæ & sunt Dominici Soto *loco supra citato.* quibus accedat textus opt. *in l. fin. §.*

fin. ff. de contrahenda empt. vbi respondet IC.tus Scæuola in hac facti specie: Lucius Titius promisit de fundo suo centũ millia modiorum frumenti annua præstare; respondet, inquam Scęuola, vẽdito eodem fundo nõ obligari emptorem. Sed & Extrauagans Calixti III. videtur idem innuere dum his verbis vtitur: *in illorum venditorum fauorem*, hoc est, vt eo facilius propter hypothecam siue obligationem bonorum suorum possint inuenire emptorem census. Quo fit vt ad huius censualis contractus constitutionem & perfectionem, non videatur requiri necessario hypotheca bonorum ipsius venditoris, si ita visum fuerit contrahentibus. Imo, quod verius est, magis interest venditoris ne res suæ hypothecæ subijciantur, sed sint absque hoc onere.

Cui sententiæ facilè ego accederem; nisi me cogeret subsistere, Pij V. constitutio, quam referunt *Martinus Nauarrus in d.tract. de vsuris, numero* 84. *& in Manuali cap.* 17. *numero* 234. & Petrus Binsfeldius *in c. in ciuitate* sub his verbis.

* * *

BVLLA

BVLLA PII V. DE CENSIBVS.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CVm onus Apost. seruitutis obeuntes cognouerimus innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuũ contractus: qui nedum nõ continentur intra limites à nostris antecessorib. eisdẽ contractibus statutos; verumetiã, quod deterius est, contrarijs omnino pactionibus, propter ardẽtem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarum manifestũ contemptũ præseferunt, non potuimus animarũ, prout tenemur, saluti cõsulentes, & piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo lætiferoque veneno salutari antidoto non mederi. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum siue annuum re- 3.

ditum creari, constituiue nullo modo posse; nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit. Rursum, nisi verè in pecunia numerata præsentibus testibus ac notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque precio. Solutiones quas vulgo anticipatas appellant fieri aut in pactum deduci prohibemus. Cōuentiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus. Quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quia volumus rem ipsam semper & liberè ac sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ aut alterius quantitatis vel rei, tam inter viuos quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census, alijs omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus ven-

vendenda ſit,etiam per menſem exſpe-
ctari. Pacta continentia moroſum de-
bitorem teneri ad intereſſe lucri ceſ-
ſantis,vel ad cambium ſeu certas expen-
ſas, aut certa ſalaria; aut ad ſalaria,ſeu
expenſas, medio iuramento credito-
ris liquidandas, aut rem cenſui ſubie-
ctam, ſeu aliquam eius partem amitte-
re, aut aliud ius ex eodem contractu,ſi-
ue aliunde adquiſitum perdere, aut in
aliquam pœnam cadere, ex toto irrita
ſint, & nulla. Imo & cenſum augeri &
nouè creari ſuper eadem vel alia re in
fauorem eiuſdem, aut perſonæ per eum
ſuppoſitæ, pro cenſibus temporis vel
præteriti vel futuri, omnino prohibe-
mus. Sicut etiam annullamus pacta
continentia ſolutiones onerum ad eum
ſpectare ad quem alias de iure, & ex na-
tura contractus non ſpectarent. Poſtre-
mo cenſus omnes in futurum creandos,
non ſolum re in totum, vel pro parte
perempta, aut infructuoſa in totum,
vel pro parte effecta, volumus ad ratam
 perire,

perire, ſed etiam poſſe pro eodem precio extingui; non obſtante etiam longiſſimi tẽporis ac immemorabili, imo centum & plurium annorum præſcriptione: Non obſtantibus aliquibus pactis, directè vel indirecte talem facultatem auferentibus, quibuſcunque verbis aut clauſulis concepta ſint. Cum vero traditione precij reditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre ante, id denunciari ei, cui precium dandum erit, & poſt denunciam, intra annum tamen, etiam ab inuito precium repeti poſſe; & vbi precium nec volens intra bimeſtre ſoluat, nec ab inuito intra annum exigatur: Volumus nihilominus quandocunque reditum extingui poſſe, præuia tamen ſemper denuntia, de qua ſupra; & non obſtantibus his, de quibus ſupra; Idque obſeruari mandamus, etiam quod pluries, ac pluries denuntiatum fuiſſet, nec vnquam effectus ſecutus fuiſſet. Pacta etiam continentia precium cenſus extra caſum

ſum prædictum ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus; contractuſque ſub alia forma poſthac celebrandos fœneratitios iudicamus. Et ita illis propterea non obſtantibus, quicquid vel expreſſe vel tacite contra hæc noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fiſco volumus poſſe vindicari. Hanc autem ſalutiferam ſanctionẽ ne dum in cenſu nouiter creando, verumetiam q; in creato quocunque tẽpore alienando, modo poſt publicationem conſtitutionis creatus ſit, perpetuo & in omnibus ſeruari volumus. Declarantes precium, ſemel cenſui conſtitutum, nunquam poſſe ob temporum aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minui vel augeri. Et licet legẽ ipſam ad contractus iã celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos ſub alia forma peruenerũt cenſus, hortamur in Domino, vt ſingulos cõtractus cenſuræ bonorum religioſorũ ſubijciãt, & animarum

saluti consulant. Non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, nec non priuilegijs & literis, etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nostris sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, necnon irritantibus decretis ex quauis causa, etiam per modum legis vniuersalis, aut alias quomodolibet editis, siue in fauorem vniuersitatum, communitatum, congregationum, ciuitatum & locorum concessis, approbatis & innouatis; quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, quatenus directè vel indirectè præsenti nostræ cōstitutioni in toto vel in parte contrarientur, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque; Volumus autem, quod præsentes in Cancellaria, & acie Campifloræ publicentur, & inter cōstitutiones

nes Extrauagantes perpetuo valituras* cõſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæq; loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum tranſſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici, ſubſcriptis ac ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent, exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę prohibitionis, annullationis, ſtatuti, mandati, iudicij, hortationis, derogationis, declarationis & voluntatis infringere vel auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1568. 14. Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri Anno quarto.

4. Ex hac igitur constitutione constat, Pium V. non fuisse contentum conditionibus in Extrauag. Martini V. & Calixti I I I. comprehensis, sed & alias requirere tanquam plane necessarias ad emptionem & venditionem census liciti. Quarum hæc prima est, vt census constituatur in re immobili vel quasi, sui natura frugifera certisque limitibus circumscripta. Secunda, & id quidem pecunia numerata coram testibus & Notario in ipso actu celebrationis instrumenti. Tertia, ne ineatur emptio eius anticipatis solutionibus aut in pactum deductis. Dicuntur vero anticipatæ solutiones, quæ fiunt initio anni vel nondum decurso anno, quo pensio ex natura contractus non ante, solui debebat. Quarta, ne venditor in se suscipiat casus fortuitos, vt sunt; aquarum inundatio, sterilitas, incendium, quæ ex natura contractus, non solent præstari à venditore. Quinta, ne pactum adijciatur restringẽs vel adimens venditori facultatem alienandi rem censui subiectam, aut si in mora fuerit soluendi, rem integram vel pro parte amittat, vel aliud præstet pœnæ nomine. Sexta, ne liceat venditori censum redimere in perpetuum vel ad certum tempus. Septima, ne census nouus imponatur, vel vetus augeatur ex pensionibus nondum solutis, vel in posterum soluendis. Octaua, ne possit census eodem precio refuso, extingui, quandocunque etiam immemoriali tempore: Ita tamen, vt si venditor vel alius qui ad solutionem census obliga-

tus

tus est, si eum redimere velit, teneatur id emptori bimestre tempus ante denunciare. Quo exacto si forte redemptioni satisfactum non erit, liberum maneat emptori, inuitum cogere venditorem ad redimendum censum; non vero post annum, cum eo elapso, potestas redimendi libera rursus redeat ad venditorem siue eius hæredem.

Has igitur conditiones summatim à me contractas requirit Pius V. in constituendo censu licito, adeo vt si vna earum defecerit, illicitus sit & vsurarius. Vt hinc per primam conditionem abrogetur census in persona venditoris constitutus, & is qui generalem siue incertam habet hypothecam non designatis scilicet, limitibus: non vero excludatur census siue reditus annuus, in quo tanquam in rei mmobili nouus rursus census vel reditus constituitur. *per tex. in c.exiui.§.cumq; annui reditus, de verbor. significat. in Clement.* & per eundem textum ita respondit Nauarrus *d. tract. de vsuris.n.87.* licet id scrupulo non careat inspecta hac constitutione.

5

Sed vtrum excludatur Principis Camera, id est ærarium, vel Cauena, hoc est, penuarium, horreum siue cellarium; maioris contentionis est, eo quod hæc natura sua non sunt fructifera sicut requirit Pij V. constitutio: Attamen cum iure feudali inter immobilia recenseantur & ex ijs feuda dari possint. *c.1.§ si de feudi cog. in lib. feud.* propius est, vt & in eis constitutionem census annui admittamus. Nam tametsi natura sua fructum non

ferant,

ferant, tamen in hoc comparata sunt, vt perpetuam accessionem veluti fructum habeant. *arg. l. venationem. 26. ff. de vsuris.*

Per secundam & tertiam conditionem: derogatur naturæ emptionis & venditionis, quæ est, vt statim contracta ea intelligatur, vbi de precio conuentum est, quamuis precium nondum sit numeratum, neque scriptura interuenerit. *l. 2. ff. de actio. & obligat. tit. Inst. de obligat. ex consensu, & tit. Inst. de empt. & vendit. in princ.*

Per quartam reliquasque conditiones Pij V. derogatur huic iuris sententiæ, qua contractus dicuntur legem accipere ex conuentione. *l. 1. §. si conueniat. ff. depositi. l. contractus. ff. de regul iuris. l. iuris gentium. 7. §. quinimo. §. adeo. § item si quis pactus sit. ff. de pactis. l. fi. C. de rebus alienis non alienan. & c. 1. ext. de commodato.*

6 Ceterum Pius V. prædictas conditiones in emendo censu annuo, partim admittendas, partim reijciendas ideo censuit, ne quid in fraudem vsurarum à contrahentibus committeretur sed sincere & incorrupte hic contractus exerceretur. Quod & verba eiusdem constitutionis expresse indicant ibi, *& licet legem ipsam ad contractus iam celebratos, &c.* quibus contractus ante alia forma celebratos non plane irritat (quod alioqui necesse esset) sed bonorum religiosorum censuræ subijci hortatur in Domino.

7 Quare propter hanc constitutionem Pij V. summa difficultas oritur inter Dd. cur contractus

censua-

censualis alia forma initus siue conceptus, vsurarius siue fœneratitius censeri debeat. Nam quid quæso pertinet ad contractum vsurarium, rem in qua census fundatur oportere esse immobilem, vel quasi, suis limitibus circumscriptam? Item pecuniam coram testibus & notario numeratam esse, ceteræq; fere omnes conditiones; cum contractus non tam ex verbis quam ex mente contrahentium æstimetur, *toto tit. C. plus valere quod agitur.* Item qua ratione ab hoc eodem crimine vindicabimus Extrauag. Martini V. & Calixti III. supra recitatas in quibus plurimæ conditiones à Pio V. præscriptæ desiderantur, & tamen contractus ea forma celebrati declarantur ab ijsdem liciti & inculpati?

8\. Refert Petrus Binsfeld. *in c. in ciuitate. extra. de vsuris. dubio 2. in 8. conclusione. §. octaua confirmatio.* non dissimilem casum à prædictis Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. imo paucioribus conditionibus siue pactionibus informatum cōtractum census; quem nihilominus testatur à multis Doctoribus tam Theologis quam I Ctis, vti licitum, approbatum fuisse in Concilio Constantiensi, quod sub eodem Martino V. celebratum est; quem vide apud eundem. (nec enim hic repetere necesse est) ita quod mirum sit Pium V. sanctissimæ memoriæ Pontificem tacite improbasse has Extrauagantes Martini V. & Calixti III. tum sententiam prædictorum Dd. Constantiensis Concilij, dum contractus censuales absq; condi-

conditionibus à se præscriptis initos iudicet tacite esse fœneratitios, & consequenter iure diuino & Canonico improbatos. *c.3. c.4. & c. 10. ext.de vsuris.* aut certe ante factos bonorum religiosorum censuræ subijciendos esse.

Vt igitur in hac Summorum Pontificum & Doctorum Constantiensis Concilij dissensione conciliatio aliqua ineatur; hoc opus, hic labor est: Nauarrus *in d.tract.de vsuris.n.*105. conditiones Pij V. in duas classes distribuit. Quasdam enim vocat iuris naturalis & diuini; videlicet, quod contractus vsurarius damnatus sit, & consequenter in re frugifera & immobili constitui debeat. Quasdam iuris humani, vt precium soluatur in pecunia numerata coram Notario & testibus; & vt venditio rei censui subiectæ ante bimestre denuntiari debeat emptori; aliasque eiusdem generis, quæ ex iure naturali aut diuino plane erui non possunt. Quo pertinere vult & hanc clausulam: *Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios iudicamus.* Ad quos tamen & hæc clausula extendenda erat; si tota contrahendi forma per Pium V. inducta, naturalis & diuini iuris esset.

Quibus profecto consequens est, ex sententia eiusdem Nauar. *sub n.*108. ad constitutionem censu siue reditus annui necessario requiri rem immobilem vel quasi; eamque frugiferam. Quæ enim iuris naturalis & diuini sunt, perpetua sunt, nullamq; mutationem admittunt, *§. pen. Inst. de iure*

iure naturali gentium & ciuili.& c.fi.ext.de consuet. At vero supra demõstratum est, annuum censum siue reditum in sola venditoris persona posse constitui: Imo ante omnia necesse est, vt obligatio eius à persona venditoris incipiat. Quippe venditio & emptio natura sua non aliam obligationem generant quam personalem inter ipsos contrahentes, eorumq; hæredes. *l.vlt. §.fin.ff. de contrah.emptione.* Non video igitur, cur non possit consistere census absque re in persona venditoris, & consequenter rem, in qua fundetur, iure naturali vel diuino non esse necessariam; vt & ceteras conditiones eiusdem constitutionis. Nisi quod summam difficultatem nobis inijciat dicta clausula eiusdem constitutionis: *contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios iudicamus.* Qua certe clausula, cum S.Pontifex aperte declaret contractum censualem in posterum alia forma celebratum, censendum esse fœneratitium id est, vitiosum, peccato vsuræ obnoxium: nemo iuste negauerit his omnibus conditionibus præcise standum esse; cum hæc res animæ salutem concernat? Etenim leges S S.Pontificum circa ea in quibus periculum animæ vertitur, indubitatum est, eas ab omnibus in vtroque foro vbique gentium, seruari oportere. *c.fin. extra. de præscriptio.& c.2.de iureiurando.lib.6.* Quod & communiter receptum testatur Nauarrus *d.tract. n.* 106. *§.secundo, cum n.seq.* Hæc igitur clausula perplexos nos merito tenet, vt quodammodo cogamur

mur relicta priore sententia in Pij V. constitutionem descendere. Hac tamen adhibita moderatione; vt ei tantummodo locus sit in foro exteriori, non vero in interiori siue consciẽtiæ. Quod ex his verbis aperte conijcitur: *Et licet legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes in quos sub alia forma peruenerunt census, hortamur in Domino, vt singulos contractus bonorum religiosorum censuræ subijciant, & animarum saluti consulant.* Non igitur hæc constitutio Pij V. ad forum conscientiæ pertrahenda est; eo quod contractus censuales ante initos non irritet, sed subijciat iudicio bonorum religiosorum. Quod certe non fecisset Pontifex Opt. nisi quoque existimasset, quoad conscientiæ forum contractum censualem posse licite & inculpate absque affectu fœnerandi, sine his conditionibus exerceri. Itaq; in foro exteriori solummodo locus est constitutioni Pij V. non vero in foro interiore, in quo soli veritati statur, cessantibus præsumptionibus. *c. tua nos. 26. extra. de sponsalibus.* Quibus cum innitatur Pij V. constitutio; recte sequitur, eum non posse vsurarium dici coram Deo, qui licet non adhibitis Pij V. conditionibus, tamen vere, non animo fœnerandi contraxit. *c. humanæ aures. 22. q. 5. Nauarr. supra citato loco.* Quod etiam probat Gregorius de Valentia, huius Academiæ Ingolstadiensisquondam lumen & ornamentum *commentariorum Theologicorum tomo 3. disput. 5. q. 22. de censibus. puncto 2. circa finem.* Ex eo quoque inferens,

ferens, iudicem contractum censualem aliter initum quam dictat constitutio Pij V. teneri quidem, ne in foro suo eum admittat aut comprobet, interim tamen, tutum esse emptorem census coram Deo si intentione praua in contrahendo vacauerit. Idque non tantum vbi hæc constitutio moribus recepta est, sed etiam vbi nondum in vsum traducta fuit, *ex ratione supra allata*, quod scilicet, versemur in re quæ salutem animæ concernit, cuius cura præcipue incumbit Summis Pontificibus *c.1.c.2.dist.12.*

Quod sane durum videtur: cum hinc sequeretur; omnes iudices grauiter peccare, si aliter censuerint, eorumque sententiam nullam esse, vtpote, latam contra expressum ius, *cap.1.extra. de sentent. & re iudicata. l.si expressim. 19.ff. de appellationibus. & l. 2. Cod quando prouocare non est necess.*

Ceterum rem altius inspiciendo & excutiendo, non existimo hanc Pij V. constitutionem in foro exteriore obligare iudicem, vbi vsu recepta non est; ob hanc rationem, quod lex, licet promulgata, non ante obliget quam moribus subditorum recepta & comprobata est. *c.erit autem. cum duob. capp. seqq. dist. 4. l. de quibus. 32. vers. nam cum ipsi. ff. de legibus. §. fin. Instit. de except. & l. 1. in princ. C. de constituta pecunia.* dum tamen census in fraudem vsurarum non constituatur, vt inter probos siue bonæ conscientiæ homines in quos non solet facile cadere fraudis suspicio. Vnde, cum in

M his

bis cessent vsurariæ præsumptiones, per constitutionem Pij. V. inductæ. *argument. c. 3. ca. 6. & ca. penult. extra. de præsumptionibus.* alienum sane videtur, eandem constitutionem indistinctè ad cuiusuis loci iudicem & ad cuiusuis generis homines velle producere. Nam Pium V. solummodo spectasse corruptos suæ ætatis mores, non solum elucet ex principio constitutionis suæ; verum etiam ex eo, quod non contentus conditionibus in Extrauagant. Martini V. & Calixti III. comprehensis (quæ tamen tunc temporis sufficiebant ad excludendam omnem fraudem vsurarum) alias præterea conditiones adiecerit; vt ita omnem sui temporis fraudem, quæ propter corruptiores hominum mores magis increbuerat, anteuerteret, non quidem inter bonos, sed apud improbos & auaritiæ deditos. Vnde potius videtur mihi, dictam constitutionem Pij V. vbi recepta non est, nequaquam iudices obligare, si inter bonos de censu quæstio est. In quo discernendo versabitur prudentis iudicis arbitrium. *argument. l. 3. ff. de restitutione in integrum. l. 3. ff. ex quibus causis maiores. & d. c. penult. ext. de præsumptio.*

Et certe, si rem in se spectemus, non satis perspicio quid pertineant ad vsurariam coniecturam, hæ conditiones Pij V. quod denunciatio redimendi census, bimestre tempus ante fieri emptorq; census præferri debeat emptori rei, censui subiectæ cum similib. Vnde cum hæ aliæq; cōditiones

tiones omni suspicione fraudis careant, impune non recipiuntur, aut si receptæ sunt, per dissuetudinem recte abolentur.

Vt hinc profecto colligatur Pium V. sanctæ memoriæ Pontificem, omnes conditiones constitutionis suæ in creatione census, non præcise & necessario requirere, ne vsuraria dicatur; sed tantummodo eas respexisse, quæ in fraudem vsurarum concipi possunt inter improbos & auaros homines. Quod non est in illis conditionibus quæ nulla ratione in suspicionem malam rapi possunt. Et hæc de constitutione Pij V.

Porro posterioribus legibus Imperij videlicet, sub Maximiliano I. in Comitijs Augustanis Anno 1500. & sub Carolo V. Imp. Anno 1548. Item sub Rudolpho II. moderno Imp. Anno 1577. sub tit. de vsurarijs contractibus, sancitum est, vt census siue reditus annui non nisi redimibiles ex parte venditoris, non emptoris constituantur, & quidem quincunces in singula centum, semotis omnibus pactionibus quæ oneri esse possunt. Verba constit. paulo post recitantur, cum interpretatione latina.

In quibus nec vlla hypothecæ vel pignoris mentio fit, eo quod sine ijs cõsistere possit census siue reditus annuus, inspecta natura contractus: pignus vero siue hypotheca securitatis causa censui accedat. Vt & hinc venditor cẽsus siue eius hęres prius iure cõueniatur actione venditi, quã tertius hypothecæ possessor actione hypothecaria,

iuxta Authent. *hoc si debitor. C. de pignoribus*. Sed nescio quomodo hodie contrà accidat, vt relicto venditore census vel eius hærede, directò & immediate conueniatur possessor hypothecæ & ab eo auocetur hypotheca contra *d. Auth. hoc si debitor*. Sed credo magis id fieri ex recepto vsu Extrauag. Martini V. & Calixti III. tum & Pij V. quo ad hanc hypothecam. vt videre est in constitutionibus, supra recitatis.

Postremo occurrunt hic tres quæstiones: quarum prima est, an pacto redimendi adiecto præscribi possit ab emptore contra venditorem, vel eius hæredem siue alium successorem? Si sequamur Pij V. Extrauagantem de censibus, res expedita est, *in §. postremo.* si Doctorum sententias, plane implicata est, cum plerique asserant, alij contra sentiant. vt late videre est apud *Tyraquellum de retractu conuentionali. §. 1. Glossa 2. cum seqq. Anthonium Gabrielium lib. 5. con. 16. & Mynsing. cent. 1. obseru. 6.* Qui igitur asserunt his argumentis potissimum ducuntur. Primum est, quod hæc facultas redimendi censum venditori siue eius hæredi competat ex personali obligatione, videlicet, ex pacto emptioni & venditioni adiecto. At vero omni actioni, omnique iuri ordinarie, vt minimum 30. vel 40. annis præscribitur. *l. sicut 3. cum l. seq. C. de praescript. 30. vel 40. annor. c. ad aures. 6. extra de praescriptionibus.* Quo fit, vt etiam id obtinere velint, licet adiectæ sint dictiones, *quandocunque, semper, perpetuo*: nec enim personalis obligatio

gatio ideo magis perpetuatur, cum certo tempore constricta sit. *ex dict. l. sicut, & l. seq.* Quod & dissuadet infinitas, quæ vitanda est, hoc est, ne in infinitum emptor maneat obligatus ad reuendendum siue restituendum, contra *l. si quis vina. 4. §. vlt. ff. de periculo & commodo rei venditæ. & l. qui bona. 13. §. fin. ff. de damno infecto. cap. fin. extr. de religiosis do. c. religionum. eodem tit. in 6. c. cum causam. §. volentes. c. significauerunt. §. mandamus. extr. de testibus.* Qua ratione Baldus *consil. 303. num. 3.* asserit non valere pactum quo sine temporis præfinitione vsque in infinitum emptor teneatur reuendere rem venditori. Vbi & præterea addit, præscriptionem 30. annorum esse odiosam; & proinde ei renunciari non posse. per ea quæ tradit Bartholus *ad l. nemo potest. num. 19. cum seq. de legatis. 1.*

Hinc etiam Angelus *cons. 55. quem refert Tyraquel. d. loco. nu. 7. & Franciscus Balbus in tractatu de præscriptionibus. in 4. parte. 5. princ. q. 3.* idem quoq; procedere existimant, licet pactum reuenditionis iuramento venditoris confirmatum sit: cum iuramentum recipiat conditionem & naturam actus, cui adijcitur *l. finali. Cod. de non numerata pecunia.*

Alterum argumentum desumitur ex *l. cum notissimi. 6. §. eod. iure. C. d. tit. de præscriptionibus 30. vel. 40. annor.* quo ius offerendi excluditur per tempus longissimum, id est, 30. vel 40. annorum; ergo & ius redimendi censum annuum, quod à

iure offerendi incipit *l. 2. C. de pactis inter emptorem & venditorem .iuncta l. Iulianus. 14 §.offerri ff. de actionib. empti.*

Qui vero contra censent his duobus argumentis præcipue nituntur. Priore: quod pactum collatum in liberam alterius voluntatem nulla temporis præscriptione tollatur, per *textum in l. suus quoque. 4. §. vlt. ff. de hæredibus instituendis*: vbi filiusfamilias heres institutus sub conditione potestatiua, hoc est, quæ in sua potestate est, nullo tempore dicitur præteritus, eo quod hanc conditionem possit semper dum viuit, adimplere. Igitur & redimendi facultas collata in arbitrium venditoris, nullo tempore excluditur. Vt hinc profectum sit, quod vulgo iactari solet, ea quæ sunt facultatis, esse impræscriptibilia. *l. 2 ff. de via publica.* Cui tamen argumento ita occurrunt alij, quod recte quidem procedat in simplici siue mera facultate, quæ ex nulla actione descendit; puta, ire per forum publicum, per viam publicam. At secus esse in facultate quæ iure actionis competit: Nam sicut tunc actioni præscribitur 30. vel 40. annis, vti ante probatum est, ita & facultati aliquid faciendi, quæ ex eadem competit. *d. §. eod. iure.*

Alterum est; quia emptor qui promisit venditori redimendi facultatem, scit se ad hoc obligatum esse: quare præscribere non potest propter malam fidem. *c. vlt. ext. de præscript.* Vbi disertis verbis Innocentius III. *Definimus, vt nulla valeat absq;*

absque bona fide præscriptio, tam Canonica quam Ciuilis. Cui & conuenit iuris regula: *possessor malæ fidei, vllo tempore non præscribit.* ca.possessor.de regulis iuris.in 6. Atque hanc posteriorem sententiam multis præiudicijs in Camera Imperiali comprobatam esse testatur Mynsingerus cent.1. obs.16.

E diuerso vero Andreas Tyraquel. *d.loc.n.*28 refert pro priore sententia in Senatu Parisiensi fuisse decisum, Anno Domini 1515. quod scilicet facultati redimẽdi etiam quandocunq; 30. annis præscribatur. Sed animaduertendum est Tyraquellum loqui de pacto retrouenditionis prædij; cum prædium ea lege venditum est, quod possit venditor refuso precio, idem prædium recuperare.iuxta *l.* 2.*C.de pactis inter empt & vend.*secus verò putat in reditibus annuis, & sic aliud in proposita quæstione. Eo quod hoc ius redimendi coniunctum sit cum iure excipiendi, cuius natura est, vt perpetuo competat.*l.pure.* 5.§.*fin.ff.de doli mali, & metus except.*

Quare si constituamus post 30. vel 40. annos emptorem census agere ad solutionem pensionis; venditor vero eam deneget, sed offerat redemptionis precium, vt ab obligatione census liberetur; videtur vtique venditori quæsitum esse ius excipiendi, ne in posterum conueniatur. Vt enim natura exceptionis perpetua est. *dict.* §.*fin.* ita & ius offerendi precium & redimendi, quod est sequela exceptionis perpetuum esse debet

nulloque tempore præscribi. Ita Tyraquell. *dict. Glossa 2. n. 31.* Quæ tamen ratio mihi solida non videtur. Nam tametsi verum sit, exceptionem reo conuento perpetuo competere; propterea, quod non sit in potestate rei quando conueniatur, sed id pendeat ex arbitrio ipsius actoris, *d. §. fi.* non tamen video, quæ exceptio venditori competat, si ius offerendi pręscriptione temporis sublatum sit.

Itaque potior hæc ratio est; quod venditor census soluendo singulis annis pensionem censeatur soluere vigore præcedentis venditionis, quæ qualitatem hanc annexam habet, sicut & ex parte emptoris, cum pensionem recipit. Vnde præscriptio locum habere non potest: cum singulis annis ea interrupta fuerit. Quemadmodum dicimus in debitore qui agnoscendo debitum nō præscribit contra creditorem. *d. l. cum notissimi. §. imo & illud. & ibi gloss. C. de præscription. 30. vel 40. annorum.*

Quare procliuior sum in posteriorem sententiam, quod scilicet pacto redemptionis præscribi non possit, tam in venditione prædij, quam annui census siue reditus. Motus præcipue ob secundum argumentum posterioris sententiæ quæ in pręscriptione requirit bonam fidem.

Vnde non obstant argumenta prioris sententiæ, quæ de iure Ciuili procedunt, non vero Canonico, quo necessario in omni præscriptione requiritur bona fides. *d. c. fi. extr. de præscript. & d.*

c. pos-

c.*possessor malæfidei*, etiam quod attinet ad forum Ciuile. Nam cum in ea agatur de peccato, vtique ius Ciuile cedit iuri Canonico : adeo quod neque statuto, neque lege aliqua contrarium induci aut statui possit. *per tex. in d. c. fin. extr. de præscriptionibus. Andr. Gail. lib. 2. obseruat. 18. & Mynsinger. cent. 4. obseruat. 6.* Quibus locis vterque testatur, nec in Camera Imperij admitti præscriptionem cum mala fide.

Et licet sint, qui distinguant inter actiones reales & personales; quod scilicet, illę à malæfidei possessore prȩscribi non possint; hæ vero possint, ideo quod in personalibus nulla detur possessio, ergo neque præscriptio. Præterea ex parte emptoris, qui ex pacto tenetur rem à se emptam recepto precio restituere, nõ potest statui mala fides, cum per eum non stet, sed per venditorem cur precium redemptionis non offeratur, ipse interim paratus sit precium recipere.

Verum hanc distinctionem actionum realium & personalium, reijcit idem *cap. fin. ext. de præscript.* vbi generaliter deciditur, nullam valere præscriptionem absque bona fide. At vero actionum tam realium quã personalium datur præscriptio, *l. 3. & l. 4. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum, & l. 1. C. de annali exceptione.* Nec enim decisio, *d. c. fin.* rationem habet possessionis, sed malæfidei quȩ in omnibus actionibus præscribendis abesse debet. Eo enim ipso, quod emptor se obligatum scit, venditorem oblato precio ad redimendum

admittere debere, censetur esse in mala fide, hoc est, se habere conscientiam alieni iuris, quod ex pacto venditori competit, vnde fit, quod huic iuri offerendi & redimendi præscribere non possit emptor.

Nec mouet, quod per venditorem stet quo minus precium ipse offerat, vt sic rem ab emptore auocet, vel à censu se exoneret; quia ob hoc non desinit emptor esse malæ fidei: cum nihilominus intelligat ius redimendi competere venditori. De quo latius Balbus *in tractatu de præscriptionibus in secunda parte 3. princip. quæstione 13.*

Et quod dictum est ante, de infinitate vitanda, nihil officit sententiæ nostræ; cum ea non vbique improbetur, sed suis casibus, quorum naturæ repugnat infinitas. vt testatur textus *in c. secundo. de rescriptis, libro sexto*, dum, inquit, his verbis: *Cum in multis iuris articulis infinitas reprobetur*: non autem in ijs quorum obligatio infinitatem non respuit; Vt in præsenti emptione & venditione census aliarumque rerum, quæ in infinitum ad heredes vtrinque transeunt. Sicut est in concessione feudi, quæ & in perpetuum ad heredes transfunditur, *capite primo, §. beneficium. titul. in quibus causis feudum amittitur.*

Altera quæstio est priori contraria; Vtrum scilicet, venditor census aut eius successor se tueri possit præscriptione 30. vel 40. annorum, qui-

bus

bus censum non soluit, ne amplius eo nomine conueniatur? Quæ quæstio non minus controuersa est & difficilis, propter diuersas Doctorum sententias: Siquidem sunt, qui existimant in tollenda præstatione annua, quæ per stipulationem siue alium contractum constituta est, sufficere præscriptionem 30. vel 40. annorum pro omnibus annis etiam subsequentibus, incipiendo scilicet, à tempore quo cessatum est in soluendo. Quorum sententia probari videtur per textum, *in cap. de quarta* 4. *cum c. seq. extra. de præscriptionibus.* quibus locis ius decimandi amittitur 40. annorum spatio. Item per *text. in l. fin. Cod. de præscriptionibus longi temporis*, Vbi seruitutes etiam discontinuæ, veluti, iter, actus, via, & similes dicuntur per non vsum tolli. Ergo & præstatio annui census, siue reditus, 30. saltem vel 40. annorum præscriptione abolebitur.

Sunt alij qui diuersum sentiunt, quod videlicet, in præstationibus annuis pro integro tempore non currat præscriptio, sed quot sunt anni quibus solutum non est, totidem sint præscriptiones: Eoque fieri, vt si 30. annis census solutus nõ fuerit non omnibus annis sequentibus, nempe 29. & 28. & deinceps præscriptum non sit, sed tantummodo tricesimo anno, propterea, quod singularum præstationũ annuarum separata & distincta sit præscriptio. Horum sententia aperto textu nititur in *l. cum notissimi 6. §. in his etiam. C. de præscriptione* 30. *vel* 40. *annorum*, vbi his verbis textus:

In

In his etiam promißionibus, vel legatis, vel alijs obligationibus, quæ dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent; tempora memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusque anni vel mensis, vel alterius singularis temporis, computari, manifestum est.

Sunt tertij, qui distinguunt inter præstationes annuas ex stipulatione vel alio contractu descendentes, & eas quæ ex legato: vt in illis sufficiat vna præscriptio pro omnibus annis; in his vero requirantur tot præscriptiones, quot sunt anni. Hanc rationem reddentes, quod præstatio annua ex contractu vna sit, atque idcirco vnica præscriptione tollatur. At legatum annuum non vnum est; sed plura; ac proinde in eo tot esse præscriptiones, quot sunt anni. Quippe annuum legatum pro primo anno purum est, id est, statim debetur; pro sequentibus vero annis conditionale, hoc est, si viuat legatarius, *l si in singulos annos* 4. *& l. singulos* 8. *& l. cum in annos* 11. *ff. de annuis & menstruis legatis.* Atque hanc distinctionem communiter receptã esse à Doctoribus, testatur Ioannes Franciscus Balbus *in tractatu de præscriptionibus in* 4. *parte*, 4 *princip. q.* 4. quam probare videtur textus *in l. Stichum aut Pamphilum* 16. *§. stipulatio. ff. de verborum obligat.* Cuius hæc verba sunt: *stipulatio huiusmodi in annos singulos, vna est & incerta ac perpetua, non quemadmodum simile legatum morte legatarij finitur.* Cui conuenit textus *in l. senatus.* 35. *§. fin. ff. de donat. c. mortis.*

Itaque

Itaque ex his tribus sententijs, puto secundam veriorem esse, cum textus *in d.§. in his etiam.* hanc distinctionem non admittat, sed disertis verbis præstationem annuã ex stipulatione seu alio contractu, & ex legato æquiparet inter se, quo ad præscriptionem singulorum annorum: Vnde etiam Martinus antiquus interpres in Glossa *d. §. in his etiam*, indistinctè tenet in stipulationibus & legatis tot requiri prescriptiones quot sunt anni. Idem tenet Petrus Costalius *in l. si vsusfructus alternis. 28. ff. quibus modis vsusfructus vel vsus amittatur. Nicolaus Boerius decis. 336. Guido Papa. q. 406. præter eos quos ibidem recenset.* vbi & testatur pro hac opinione Martini, se semper vidisse iudicari in omnibus Curijs Gratianopolitanis. Eandem quoq; testatur Mynsingerus aliquoties comprobatam fuisse in Camera, *cent. 3. obs. 13.*

Nec mouet pro prima opinione tex. *in d. c. de quarta. cum c. seq.* Quia non est idem in decimis quod in alijs præstationibus: cum præstatio decimarum non veniat ex contractu vel ex vltima voluntate, de quibus loquitur *d. §. in his etiam.* sed ex dispositione iuris, quo decimarum præstatio vna constituitur pro omni tempore, tanquam ex generali quadam regula; atque idcirco vna quoque præscriptio pro omni tempore statuitur: licet alioquin decimarũ perceptio sit annua, siue alterius temporis. Ex sententia Baldi *in d. c. de quarta.*

Et quod attinet ad *d. l. fin. Cod. de præscriptionib. longi temporis*, in ea quidem deciditur; seruitutes

instar

instar rerum corporalium 10. vel 20. annorũ spatio tolli; sed cum in ijs nulla rei præstatio sit, sed duntaxat vt is qui seruitutem debet, patiatur alterum seruitute vti. *l. quoties* 15. §. *seruitutem. ff. de seruitutibus.* non est quod argumentum hoc de seruitutibus huc transferamus : Siquidem hîc solum controuertitur, vtrum is qui annuum censum debet præscriptione temporis 30. vel 40. vel plurium annorum, quibus censum non soluit, obligatione eximatur.

Nec mouet *text. in d.* §. *stipulatio* pro tertia sententia allatus. : Tametsi enim stipulatio annua vna sit vnaque ex ea actio nascatur pro omnibus annis. tamen inspecto effectu, sunt plures anni : cum ante diem sequentium annorum agi non possit: proinde hac in parte, quo ad præscriptionem æquiparantur stipulatio annua & legatum annuum. Quamuis ex alio capite impugnari possit hæc præscriptio, propter malam fidem, quæ in præscribente est, & in herede eius. Nam licet hic heres bonæ fidei esset, hoc est, putaret se censum non debere, nihilominus propter malam fidem authoris sui, fingeretur quoque esse in eadem mala fide, propter repræsentationẽ defuncti *l. cum heres* 11. *ff. de diuersis & temporalibus præscript. & l. fin. ff. de vsucapione pro herede.*

In singulari vero successore qualis est emptor, donatarius, legatarius & similes, ad quos res censu affecta peruenit, aliud iuris esset, vt scilicet, hi rectè præscribant, dum tamen bonæ fidei sint, licet

cet

cet alioquin author à quo rem habent, fuerit in mala fide: quia in his nulla cadit repræsentatio authoris, *l. 1. & l. 2. Cod. si aduersus creditorem, iuncta l finali. Cod. de præscriptione longi temporis. De quo latius, apud Ioannem Franciscum: Balbum, in tractatu de præscriptionib. in 4. parte 4. princip. q. 5.*

Tertia quæstio est: qua moneta census annuus redimi debeat? In qua dissoluenda distinctio est adhibenda: Aut enim inter emptorem & venditorem conuenit, quo genere monetæ redemptionem fieri oporteat: & hac specie certum est, huic conuentioni standum esse per tex. *in l. 1. §. si conueniat. ff. depositi, & in l. contractus. ff. de reg. iuris.* Vtrobique dicitur, contractum accipere legē ex conuentione. Quare alia moneta, quam conuenta est inuito emptori census obtrudi nō potest. *l. 2. §. 1. ff. si certum petatur.* Idque, quando interest creditoris non aliam monetam accipere. *per tex. sing. in l. Paulus 99. ff. de solutionibus. Paulus respondit,* inquit textus, *creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit.* Vnde à contrario sensu, qui à iure receptus est, *l. 1 ff. de officio eius, & c. cum Apostolicæ 7. extra. de his qui fiunt à Prælatis.* infertur, creditorem tunc cogendum esse, vbi sua nihil interest eiusdem an diuersæ formę nummos accipiat, dummodo sint bonæ materiæ, & ad eandem æstimationem reuocari possint. *Barthol. in d. l. Paulus.* Alioquin videbitur creditor mali-

malitiosè agere, quod certe ipsi indulgēdum non est *l. in fundo 39. vers. neque malitijs ff. de rei vindicat.*

Quare, quod dictum est; creditori inuito alud pro alio solui non posse, exaudiēdum est, vbi creditoris interest, aliud pro alio non solui: ex sententia eiusdem Bartholi in *d.l. Paulus.*

Aut nihil conuenit inter emptorem & venditorem census, de certa moneta, quo casu, satis erit in quauis moneta vsu loci frequentata, solutionē fieri. *per textum in l. nummus 73. ff. de legatis 3. in l. 1. §. fin. ff. de auro, argento, & cet. legatis. & in l. si quis argentum 35. in princ. C. de donationibus. Mynſ. cent. 4. obseruat. 15.*

Sed fingamus monetæ, de qua conuentum est, valorem interim mutatū esse; ita quod pluris vel minoris valeat solutionis tempore, quā tempore contractus. Hic duplex rursus inspectio incurrit: aut enim loquimur de monetæ valore extrinseco, aut intrinseco. Extrinsecum valorē voco; quando eadem manēte bonitate materiæ precium monetæ auctum vel diminutum est, auctoritate Principis vel commercio hominum; Vt exempli gratia videre est hodie, in ducato Hūgarico, qui paucis abhinc annis non valebat duos florenos, nunc vero valet imo transcēdit valorem duorum florenorum in quibusdam locis. Sicut è diuerso fieri potest, vt successu temporis rursus eius æstimatio decrescat, vel diminuatur.

In hoc igitur valore, sufficit eandem monetam solui

ſolui non attenta mutatione æſtimationis; vel ſi amplius ea non exſtet vel in vſu eſſe deſijt; æſtimationem eius, qui fuit tempore contractus *c. olim cauſa. 20, & c. penult. extra. de cenſibus. Petrus Coſtalius in l. res in dotem datæ. 42. ff. de iure dotium.* Quod & communiter receptum teſtatur Andr. Gail, *lib. 2. obſ. 73.* Vbi præterea addit idem obtinere, & in vltimis volũtatibus; *Vt ſi teſtator*, inquit, *centum coronatos leget, cõſiderandus ſit valor qui fuit tempore conditi teſtamenti, non autem tempore mortis teſtatoris, per textum notabilem in l. vxorem §. teſtamento. ff. de legatis 3. Barthol. ibidem in princip. Gloſſa ſingularis in l. penult. in verb. cedit, ff. de fundo inſtru.* Quin & ex Iaſone tradit, idem eſſe in ſtatutis, pœnam certam pro delicto irrogantibus, vt & in cõdemnatione eius, attendi debeat tempus conditi ſtatuti. Vide omnino quæ habet Panormit. *in c. quanto. num. 12. cum ſeq extra. de iureiurando.*

Intrinſecus vero valor tunc mutatus dicitur, quando is factus eſt circa materiam vel pondus, & hac ſpecie ſpectatur tempus contractus non ſolutionis, ex ratione *l. cum quid. 3. ff. Si certum petatur.* Quod & communiter probant Doctores. Sicut ex Panorm. & aliis tradit Didac. Couarr. *de veterum collatione numiſmatum cap. 7. §. vnico. n. 2.* licet ipſe contrariam ſententiam non improbet quæ eſt Ioannis Fabri *in Authentic. hoc niſi C. de ſolutionib. & in tit. Inſt. quibus modis obligatio tollitur,* exiſtimantis ſolutionem debitæ pecunię rectè fieri, ſi ea fiat ex pecunia tam quoad materiam quam

N quoad

quo ad formam, probata ex decreto publico, etiamsi certa species pecuniæ aut monetæ debeatur. Quod certe ego crediderim, nisi magis intersit creditoris recipere monetam veterem, quæ fortasse ipsi commodior futura esset in vsum suum. Nam nō puto creditori hanc commoditatem auferendam esse, si prædium aut reditum annuum comparare, aut pignus suum alteri obligatum veteri pecunia reluere cogatur, ex sententia *d.l. Paulus.*

Et hæc hactenus de censibus, siue reditibus annuis perpetuis, hoc est, qui ad hæredes vtrinque transeunt.

Porro, quid iuris sit in censibus vel reditibus ad emptoris vitam constitutis, hîc breuiter perstringamus, quæ est tertia & vltima quæstio: Fingamus igitur Titium molestiarum pertæsum cogitare de vita priuatim instituenda: sed dum veretur, ne pecunia quam habet, puta mille florenorum, alimētationi suæ non sit suffectura, si forte in multos annos vitam protraheret, adit ciuitatem vel monasterium aut alium, quem suis rationibus expedire existimat, & ab eo emit annuum reditū centum florenorū quo ad vixerit, numerato ipsi precio eorundem mille florenorum; hic igitur, quæstionis est apud Doctores, an iure subsistat huiusmodi emptio & venditio? Mouet difficultatem, quod emptor lucrum quærat ob spem diuturnioris vitę. At vsura non tantum committitur re ipsa, sed & spe sola animo concepta, *c. consuluit* 10. *ext. de vsuris.*

vsuris. Vnde sunt, qui hunc contractum improbent, *vt Raymundus, Goffredus, & Henricus de Gandauo citati à Binsfeld. in c. in ciuitate q. 11. ext. de vsuris.* Verum contraria opinio verior & receptior est, tam apud Theologos quam apud Iurisperitos; prout idem Binsfeldius testatur. *siam d. loco, conclus. 2.* Eandemque communem asserit And. Gail. *lib. 2. obs.* 8. Nec enim negari potest, quin & in hoc contractu concurrant essentialia empt. & vendit. videlicet, precium certum, & ius annuæ præstationis quod emitur & venditur, quæ duo præter consensum sufficiunt in emptionis contractu. *l. nec emptio* 8. *cum l. seq. ff de contrah. emptione. & tit. Inst. de emptione & vendit. in princ. &* § 1. Neque vsurarius ideo censeri debet quod in eo grauior pensio constituatur: Cum id permittat incertitudo damni & lucri, propter vitam hominis incertam & multis casibus expositam: adeo vt nemo crastinum sibi polliceri audeat. Incertitudo vero, contractum facit licitum, qui alioquin certus, esset illicitus, *l. si ea lege* 17. *& l. oleo* 23. *& ibi notat Baldus & Salycet. & confirmat textus in d. c. in ciuitate* 6. *& in c. fin. ext. de vsuris,* vbi excusatur mercator propter dubiũ euentum si pluris vendat merces suas ob solutionem in aliud tempus reiectam, de quo latius egimus supra cap. 3. Cui non dissimile est quod pulchrè respondit Iason in *l. 1. lectura prima, num. 63. Cod. de summa Trinitate,* dum contendit licitum esse contractum, quo quis certa pecuniæ quãtitate emit magnos reditus fundi in

tempus vitæ suæ, vel numerat alicui monasterio quingentos ducatos, vt ab eo alatur donec vixerit: Idque (addit) ob incertitudinem vitæ ipsius. Et hanc esse communem conclusionem ostendit ex Cij.Bald. Ang.Sal.& alijs. Iason, *citato loco*.

Sed dubitationis est, qualis iniri ratio debeat iusti precij in hoc contractu ad vitam concepto? Variè hac de re sentiunt Doctores, sicut videre est apud Didac.Couarr.*variar.resol lib3.cap.9.num.7.* Verum hic rectè censet eam constitui oportere, ex communi Prouinciæ æstimatione, siue vt vtar verbis Andr.Gail.*d.obs.8.num.5.* iuxta consuetudines locorum, vbi huiusmodi contractus celebratur. per text. *in l.si fundus 6.ff. de euictionibus.* Et hoc, vbi consuetudo loci certa est; alias ea statuenda est ex arbitrio boni viri, inspectis scilicet, ætate, valetudine ementis, alijsque circumstantijs, *& facit textus in l.cum ij 8.§.vult igitur. vers.modus autem. ff.de transactionibus.*

Et licet sint, qui putent æstimationem hanc annui reditus redigendam esse ad præscriptum modum, *in l.hereditatum, alias incipit. l.computationi.68.ff.ad l.falcidiam.* quo loco IC.tus in detractione legis falcidiæ ex alimentis legatis, vult habendam esse rationem ætatis legatarij; vt si infra 20.annum constitutus sit, detractio fiat pro 30. annis; sin supra 20. annum vsque ad 25. fiat pro 28. annis; ab anno 25. vsque ad annum 30. pro annis 25. à 30. anno vsque ad annum trigesimum quintum, pro annis 22. Et sic sub-

ſubſequenter, prout latius videre eſt in *d.l. hereditatum.* Ab hac tamen ſententia diſcedunt Imola, Alexander, & alij, quos recenſet idem Couarr. *d.c.9.num.*8. exiſtimantes eam computationem IC.ti tantum habere locum in ratione legis Falcidiæ, non in alijs quæſtionibus. Quibus & ſubſcribit ibid. Couarr. ſed cum hoc temperamento; vt nihilominus liberum cuique maneat controuerſiam aliquam tractanti, diſcernere ex negotij qualitate, an eadem ætatum dinumeratio obſeruanda ſit extra caſum legis Falcidiæ. Sed hoc dictum Couarr. conuenit cum eo, quod ante diximus; videlicet, æſtimationem, vbi ea in loco incerta eſt, ad arbitrium diſcreti iudicis redigendam eſſe.

SEQVVNTVR CONSTITVTIONES POSTERIORVM IMPPP. MAXIMILIANI I. CAROLI V. MAXIMILIANI II. ET RVDOLPHI II.

de vſuris & annuis cenſibus ſeu reditibus. quarum ſupra ſæpe mentio facta eſt.

Maximilianus I. in Comitijs Auguſtanis. Anni 1500. ſub tit.

Von wůcherlichen Contracten.

NAchdem auch durch wůcherliche vnd ander gefährlich vnzimblich Contràct / ſo biß her / als wir vernommen / Chriſten vnd Juden vben / Landen vnd Leuthen

Leuthen mercklicher Schad zugefügt würd. Setzen/ordnen vnd wöllen wir/ allen vnnd jeden Ständen deß Reichs ernstlich gebietend/daß sie solche wücherliche vnd gefährliche Contract / in jhren Fürstenthumben / Landen / Obrigkeiten vnd Gebieten/ allenthalben bey zimlichen Peenen verbieten/ auch die Vberfahrer ernstlich straffen. Gebieten auch hiemit allen vnd jeden / Geistlichen vnd Weltlichen Richtern/ Vrtheilern vnnd Gerichten/ wann solche wücherliche vnd vnzimliche / oder gefährliche Contract für sie bracht werden/ daß sie die vnwürdig/ krafftloß/ vnd vnbindig erkennen vnd declariren / auch auff solche Contract kein Execution oder Volziehung thun noch verhelffen.

Dieweil aber die Widerkäuff allenthalben in allen Landen gemein seind/ vnd vnder dem Schein derselben/ manicherley Gefährlichkeit vnd vnzimblichheit geübt wirdt: Befelhen wir hie vnserm verordneten Reichs Regiment/ geben jnen auch deß hiemit vnser volkom-

men Gewalt vnnd Macht/der Widerkäuff halben/zimblich Form/Maß vnd Ordnung zumachen/vnd die allenthalben im Reich/in vnserm Namen außzuschreiben vnd zuuerkünden / damit sich ein jeder hinfür in Widerkäuffen derselben Maß vnd Form wiß zugebrauchen vnd zuhalten: Wir setzen vnnd wollen auch/ob hinfür/nach dem/vnd wann die angezeigt Maß vnnd Form verordnet/gesetzt vnd verkündt seyn wirdt/einiger Widerkauff gemacht/die an der Substantz vnd Form/obgemeld/gebrechlich erfunden wirt/daß dieselben alle krafftloß vnd vntauglich seyn sollen.

Quæ ita latinè reddidi, obseruata tamen magis verborum sententiâ;

Quandoquidem & per vsurarios aliosq; periculosos, & incōuenientes contractus (quos hactenus vt accepimus, Christiani & Iudæi exercent) prouincijs & earum incolis, damnum notabile inferatur: Statuimus, ordinamus & volumus, vt omnes & singuli Status Imperij (seuerè ipsis præcipiédo;) huiusmodi con-

contractus in suis Principatibus, terris, ditionibus & Iurisdictioni suæ subiectis vbiq; locorum, sub pœnis congruentibus interdicant, & eorum transgressores serio puniant. Tum etiam mandamus ecclesiasticis & secularibus iudicibus, vt si quando tales contractus coram proferuntur, eosdem inualidos & irritos pronuncient & declarent, nec executioni eos mandent, aut impleri faciant, vel iuuent.

Quia vero redemptiones, *subaudi, annuorum redituum*, passim in omnibus prouincijs frequentantur, & sub prętextu earum varia pericula & inconuenientia incurruntur. Mandamus nostri Imperij Regiminibus, imo damus ipsis plenam potestatem & auctoritatem redemptionis huius formam aliquam moderatam & modum, concipiendi & conficiendi, & nostro nomine vbilibet in Imperio nostro publicandi, vt quilibet inposterum sciat, qua forma & modo in redimendo, vt, de-

beat. Statuentes item, ordinantes, & volentes, vt si abhinc post publicationem factam, aliqua redemptio facta fuerit, quæ huius formę defectum patiatur, ea omnino infirma & irrita sit.

Notatio.

HAc Maximiliani I. *Constitutione* vsuræ omnes abrogantur, & è contra emptio censuum siue redituum annuorum admittitur cum pacto redimendi. Qua autem forma hæc redemptio fieri debeat, committitur arbitrio iudicum prouincialium. Nec enim ante à iure vlla de hac re forma prodita erat. Nam quæ in Extrauagantibus Martini V. & Calixti III. supra recitatis conditiones traduntur ex loco formæ non sunt, sed ita ex facto propositæ fuerunt: donec longe post Pius V. certam formam annui census emendi & redimendi induxerit. De quibus ante egimus.

Caro-

Carolus V. Imperator, in reformatione politica Augustæ Anno Domini 1530. sub eodem titulo.

Von wůcherlichen Contracten.

NAch dem vns fürkommen/wie biß anher Im H. Reich manigfaltig wůcherlich Contract / die nicht allein vnziemblich/ sonder auch Vnchristlich wider Gott vnd Recht geůbt worden seyn/vnd täglich geůbt werden/ Als daß etlich ein Summa Gelts / als Acht hundert Gulden/ hinleyhen sollen/ vnd doch in Kauffbrieff mehr als Tausent Gulden setzen lassen / dardurch jhnen mehr dann fünff vom hundert verzinset /vnd im Widerkauff mehr dann jhr Hauptsumma gewesen / empfangen. Deßgleichen etliche seyn sollen / die vmb ein klein versammung der Zeit / so sie der Bezalung zuthun ansetzen ein vbermäßig Interesse fordern / vnnd mit

der

der Hauptsumma steigen vnnd dieselb vmbschlagen.

Item daß etlich Getraid/Pferd/Tücher vnd dergleichen Wahr/an ein Gelt Kauffsweiß anschlagen/vnd viel höher dann solche Wahr immer mag werth seyn/vnd dardurch ein mercklichen grossen Wucher/als männiglich wissent/zuwegen bringen.

Item/daß etlich jhr Gelt hinweg leihen/nemmen von hundert ein nämbliches/vnd muß der Entleyher jhnen darzu ein mercklich Dienstgelt/darumb sie doch zudienen nicht schuldig seyn/verschreiben/vnd solch Dienstgelt/ohne bezahlung der Hauptsumma nicht auffschreiben oder auffsagen dörffen/oder mögen.

Item daß etliche allein gelt an Müntz hinweg leyhen/vnd lassen doch die Verschreibung auff Gold stellen.

Item daß etliche ein nämblich Summa Gelts auch vergeblich hinleyhen/aber dargegen muß der Entlehner jnen etwan ein grosse Wahr/vnd gantz in einem

nem geringen Werth / zustellen / darin sie jhr Hauptsumma / vnnd ein grossen Genieß / wol doppel oder dreyfachtig / haben vnd befinden.

Item etliche leyhen jhr Gelt mit disen verbottenen Dingen vnnd Pacten hinweg / daß der Entleyher zu vier Märckten / so die jm ernennen / ein nambhafftigs darfür verzinsen / oder auff Gelt geben muß / thut wol etwan mehr / dann von hundert / zwantzig.

Dieweil aber solche vnd dergleichen Contract auch der Wucher Vngöttlich / in gemeinen geschribnen Rechten / darzu in vnser vnnd deß Reichs Ordnung / im Jahr 1500. allhie zu Augspurg auffgericht / höchlich verbotten / so thun wir mit Raht / Wissen vnd Willen / vnserer vnnd deß H. Römischen Reichs Churfürsten / Fürsten / vnnd Ständen / solch ordnung auß rechter wissen ernewen vñ bekrefftigen. Setzen ordnen vnd wöllen darauff / daß solche wücherliche Conträct vnd Händel / gäntzlich vnd zumal / nach publication vnnd Verkündigung

diser

diser vnser Ordnung vermitten / vnnd durch niemands / weß Würden oder Standts der sey / fürgenommen oder gebraucht werden sollen: damit allen Richtern / Geistlichen vnnd Weltlichen gebietend / wann solche wucherliche Contract für sie bracht / daß sie dieselbigen vnwürdig / Krafftloß vnnd vnbindig erklähren vnnd declariern / wie wir sie auch hiemit als vnkräfftig / vnbindig erklähren vnd erkennen / vnd auff solche Contract kein Execution oder Vollziehung thun oder verhelffen. Zudem / daß derjenig / so solchen wucherlichen Contract geübt / den vierdten Theil seiner Hauptsumma verloren / vnd derselbig seiner Bürgerlichen Obrigkeit / an etlichen Orthen Erbgericht genannt / heimgefallen / vnd auff solchen vierten Theil durch dieselb Bürgerliche Obrigkeit gestrafft werden soll / vnnd so derselbig mit Wissen säumig erfunden / soll alsdann deßelber Obrigkeit / oder wo dieselbig säumig / vnser Fiscal die Obrigkeit vmb ein Namhbliche Peen / als zwey drey

drey/oder vier Marck lötigs Golds/ beklagen vnd annemmen.

Vnnd nach dem die Widerkauffs Gülten allenthalben in Landen gemein seind/ so soll hinfürter von dem hundert nicht mehr dan fünff/ wie gebräuchlich gegeben vnd genommen werden/ vnd hinfürter die Verschreibnng aüff Widerkauff/ wie Widerkauffs Recht/ beschehen/ was darüber gegeben/ genommen oder gehandelt/ wöllen wir dasselbig für wücherlich geacht vnd gehalten/ vnnd wie oben gemeldt/ gestrafft haben.

QVæ similiter ita latine reddidi, retento magis verborum sensu. Et siquidem nobis relatum est; hactenus in Romano Imperio diuersos vsurarios contractus celebrari, qui non solum inconuenienter sed & minus Christiano cõtra Deum, & ius vsurpati sunt, & quotidie exercentur. *Vt his sequentibus casibus*: Nempe, quod quidam summam pecuniæ, veluti 800. fl. mutuo dent,

dent; & tamen in literis emptionis plus quam mille florenos inseri curent, quo ipsis vltra quincunces in singula centũ, census nomine penduntur, & in redimendo amplius quam fuerit summa capitalis, consequantur.

Similiter & alij sunt, qui ob paruam temporis moram qua in soluendo cessatum est, interesse immoderatum exigant; & augendo in ipsam sortem imputent, & conuertant.

Item alij sunt, qui frumentũ, equos, pannum & similes merces titulo venditionis æstiment plurimi quantum fieri potest, ac proinde eo ipso notabilem vsuram contrahunt, vt cuiuis notum est.

Item quidam sunt, qui pecuniam quidem mutuent & recipiant in singulos centenos certi quid, sed prætereа teneatur mutuarius certas operas suas ad quas alias non tenebatur, ipsis addicere, neque eas denegare aut reuocare audet vel potest absque præsenti solutione summæ capitalis.

Item quidam sunt qui pro pecunia argen-

argentea mutuo data sibi in instrumento curent monetam auream inscribi.

Item, quod aliqui sunt qui quidem mutuent pecuniam, nulla è contra constituta pecunia numerata, sed merce quadam in se magni valoris, sed viliori precio æstimatam, qua creditor & summam capitalem suam & magnum commodum etiam duplo vel triplo maius, consequatur.

Item aliqui sunt qui pecuniam suam mutuent his conditionibus siue pactionibus iniquis; vt mutuarius ad quatuor nundinas sequentes quæ ipsi præfixæ sunt, certum censum nominatum pendat, vel pecuniam exoluat quæ interdum transcendit viginti in singula centum.

Quibus exemplis enumeratis subdit deinde Carolus V.

Quia igitur huiusmodi & similes contractus, item quia vsura in se impia est, Vngötlich/iure communi scripto, & in ordinatione nostra & Imperij An-

no 1500. grauiter interdicta: Idcirco nos, adhibito consilio, scientia, & assensu, nostri & Sacri Imperij Electorum, Principum & Statuum, eandem ordinationem ex iusta scientia renouamus & confirmamus; statuentes, ordinantes & volentes, quod huiusmodi vsurarij contractus & conuentiones, omnino & penitus post publicationem huius factam, euitentur & per neminem cuiuscunque dignitatis aut status ineantur aut in vsum recipiantur: præcipiendo insuper iudicibus ecclesiasticis & secularibus, vt si quando tales vsurarij contractus coram proponantur, declarent eos inualidos, infirmos & irritos esse; sicut & nos quoque hisce, inualidos & irritos declaramus & pronunciamus, neq; executioni mandandos esse. Præterea is qui talem contractum vsurarium exercuerit quartam partem capitalis summæ amittet in pœnam Magistratui suo ciuili applicandam. Qui tamen Magistratus si sciens id neglexerit, superior eius, & hoc item negligente præfectus

Fisci

Fisci Magistratum in pœnam aliquam nominatim, veluti duarum, trium vel quatuor marcarum auri puri, accusabit & recipiet.

Et quia redemptiones censuum vbique terrarum communiter receptæ sunt, non debent inposterum pro centum capitalis summæ vltra quinque dari & accipi, vti moris est, Item instrumentum redemptionis fieri debet, vt ius redimendi est. Quicquid vltra acceptum vel conuentum fuerit, volumus id vsuræ loco haberi & æstimari, & vt supra dictum est, puniri.

Notatio.

CArolus V. hac constitutione sua etiam eas species conuentionum abrogat, quę in fraudem vsurarum (quæ proprie de iure ciuili in mutuo, adeoque in pecunia numerata potissimum consistunt) creditores varie effingunt: non attendentes tam de iure diuino quam Canonico quālibet accessionem rei æstimatæ ad sortem principalem, vsuræ nomine contineri, *iuxta illud Christi Lucæ 6. mutuum date, nihil inde sperantes. & causa 14. q. 3. c. consuluit, 10. extra de vsuris, cum similibus*

supra cap. I. *à me citatis.* Quod ipse Imperator his multis allatis exemplis docet & illustrat: Declarando & huiusmodi contractus esse nullos & irritos; adiecta quoque pœna in vsurarios, amissionis quartæ partis sortis, Magistratui inferendæ.

Alterum quod hac constitutione continetur, est de redemptione census annui, qua & ipsa emptio census comprehenditur, quamue non vult excedere quincunces, id est, quinque annua pro centum. quod non est in constitutione Maximiliani I. Eadem quoque pœna constituta in transgressorem, quæ ante in vsurarium.

Idem Carolus V. Imp. Augustæ Anno 1548. sub eodem titulo.

Von wůcherlichen Contracten.

HAc constitutione eadem repetit quę superiore constitutione sua: nisi quod in penul. §. huius constitutionis explicatius quædam addat, quod attinet ad redemptionem census siue reditus. Verba eiusdem §, hæc sunt.

VNd nach dem die Widerkauffs Gülden / allenthalben inn Landen gemein

gemein seyn / so sollen / mit hundert Gulden Hauptgelts / nicht mehr dann fünff Gülden Jährlicher Gülten / wie gebräuchlich / gekaufft werden / vnd die Loßkündigung der Gült Verschreibung / auff Widerkauff / wie Widerkauffs Recht / bey dem Verkauffer / vnd nicht bey dem Kauffer stehen / vnangesehen / wie dieselbig Gült Verschreibung gestelt / vnnd was darüber gegeben / genommen oder gehandelt / wöllen wir / daß dasselbig / vnd alle andere vnziembliche pacta oder Geding für wucherlich vnd vnkräfftig geacht / gehalten vnnd von dem Richter nicht darüber erkennt oder geurtheilt / sondern wie gemeldt / gestrafft werden solle.

ITa latine. Quia vero redemptio census vbique terrarum communiter recepta sit: ideo non nisi centum florenis, quinque floreni annui census, vt consuetum est, emi debent, & renuntiatio eiusdem census per viam redemptionis vt redimendi ius est, penes venditorem non emptorem erit, non attenta qua-

cunq; forma ea concepta sit in instrumento. Et si quid vltra datum, acceptũ vel tractatum fuerit; Volumus id & alia omnia inconuenientia pacta, siue conuentiones, tanquam vsurarias & infirmas censeri, haberi, neq; per iudicem de eis cognosci, vel pronunciari, sed magis vt ante dictum est, puniri oportere.

Notatio.

HIc aperte refellitur eorum error, qui putant, in persona emptoris concipi posse ius redimendi, hoc est, vt emptor possit quandocunque vel post certum tempus cogere venditorem ad redimendum censum siue reditum annuum: cum redemptio nõ nisi in sola venditoris persona, id est debitoris permittatur adiecta pœna. Similis conditio est in Extrauag. Martini V. Celestini III. & Pij V. de quibus sup. c. 10.

Maximilianus II. in Comitijs Spirensibus, Anno 1570.

IN priore constit. sua, paulo ante med. in §. Auß wassen. his verbis vtitur:

Vß wassen billichen Vrsachen / die Wücherlichen Contráct (so jederzeit im Reich grossen Vnrath vnd Verz

Verderben angericht)in gemeinē Rechten/vnd etlichen vnsers Reichs Abschiden verbotten/ ist vnnöttig zuerholen. Derhalben wir/ Camerrichter vñ Beysitzern befohlen haben wöllen/in solchen Sachen/ was einmal statuiert vnd verabschydet/in kein ferner Nachdenckens zuziehen.

Latine ita: Quibus ex causis legitimis contractus fœneratitij (qui semper Imperio magna incommoda & perniciem attulerunt) iure communi & quibusdam nostri Imperij Recessibus interdicti sint, superfluum est repetere. Quocirca nos iudici Camerali & Assessoribus præcipimus, in huiusmodi rebus, quod semel statutum est, in vlteriorem deliberationem ne trahant.

Notatio.

PEr ius commune intelligitur ius canonicū, eo quod vbiq; illud in scholis & iudicijs receptū sit. Similiter & ius ciuile, quo advsuras supra modū pręscriptum in l.eos.26.§.1. C.de vsur. cōuentas, Nam quę intra modum d.§.1.cōceptę sunt, nō minus sublatę sunt, vtpote iuri diuino repugnātes. vt sup.c.1. cōprobaui, ac proinde rectius & in his re-

curritur ad ius Canonicum, propter generalem regulam Innocentij III. in Concil. generali Later. qua omni constitutioni & consuetudini diuino iuri cõtrariæ derogatur: Extat in c. vl. ex. de prę̃scr.

Rudolphus II. Imp. Francofurti Anno 1577. in politica ordinat. sub tit. eodem.

Von wucherlichen Contracten.

EAdem repetit & confirmat quæ sup. statuit Carolus V. nihil fere immutato vel addito quod hic repetere necesse sit; nisi quod hic nouus §. adijciatur de Obstagijs; cuius verba hæc sunt:

Wiewol auch in deß H. Reichs Policey Ordnung / Anno 48. zu Augspurg publiciert sondere Maß vnd Ordnung gemacht / wie es zuhalten / da Gült verschreibung auff Bürgen / in leystung zumanen gestellt / dieweil aber seythero vilmaln erfahrn / daß solche Leystung zuuil mißbraucht / vnd die Bürgen so wol / als die Hauptschuldigern / dardurch in äusserst Verderben gesetzt / vnd also auch den Glaubigern

bigern selbst/da jhnen damit geholffen/ noch bezahlt werden kan/zu Nachtheyl reichen thut: So wöllen wir hiemit die Leystung in künfftigen Schuld- oder Gültverschreibungen einzuuerleiben gäntzlich verbotten haben/da auch einige Verschreibung gleichwol hinfürters darauff gestellt wurde / soll dieselbige Leystung als nun mehr iure publico verbotten/an jhr selbst nichtig/vñ demnach kein Bürg noch Schuldner zuleysten/noch auch den Wirthen/ da auff jn mit der That geleystet wurde/etwas zubezahlen/verbunden seyn.

Latinè redditum ita. Tametsi in sacri Imperij politica ordinatione Anno &c.48. Augustæ publicata, singulariter prouisum sit, quid fieri debeat vbi obligatio cẽsus facta est,cum fideiussoribus in obstagium citandis siue monendis: Nihilominus, cum hactenus huius obstagij abusum prospexerimus, & tam fideiussores quã debitores eo ipso in extremam perniciem tendant, nihilo tamen magis consultis creditorum ratio-

nibus, quibus solui non potest: Idcirco volumus omnino, ne obstagia in posterum obligationibus inserantur, & inserta, tanquam iure publico interdicta per se irrita sint: & consequenter neminem fideiussorum nec debitorum ad obstagium teneri, neque hospiti ad quem forte de facto obseruatum fuit obstagium, expensarum nomine obligari.

Notatio.

VT in obligationibus alijs, maioris securitatis causa accedere solet pignus siue hypotheca. *l. contrahitur 4. cum l. sequenti. ff. de pignoribus*, vel fideiussores, vnus vel plures. *l. 1. ff. de fideiussorib. & tit. Instit. in princ. & §. si plures. eod. tit.* ita & in hac obligatione census soluendi. De pignore vel hypotheca constat *ex c. 1. & c. 2. inf. de vsuris, ex Extrauag. communibus Martini V. & Calixti III. & Pij V. supra recitatis, & ex li. l. 2. & l. 6. C. de pignor. actio.* De fideiussoribus colligitur ex *c. rescripto. 9. ex de iureiurando, & ex c. exposita. 11. ext. de arbitris.* qui tamen sub obstagij fide obligati, hoc *§.* liberantur. Est autem obstagium, quando fideiussor promisit de perseuerãdo vel sistendo se certo in loco donec debitor solutionem fecerit. Venit à verbo *Obsidis*, vnde Itali obstagium deriuârunt,

runt, Germani, die Laistung / appellant. Vnde & in Laistung mahnen, idem est, quod monere aliquem vt in locum certum expromisso, veniat, vt hîc. Quod etsi iure Canonum receptum est *in d.c. ex rescripto*, hac tamen constitutione Rudolphi II. Imp. improbatur & irritatur, tanquam iuri publico aduersans, ita quod ex eo nulla amplius nascatur obligatio, saltē quoad ditiones Imperij. Meminit & hic. § obstagij ante prohibiti sub Carolo V. Augustæ, Anno M. D. XLVIII. sed quæ prohibitio, minus plena est, & idcirco hic repetendam non duximus.

* * *

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM IN TIT. DE VSVRIS.

A.

Alearum lusus.

Alearum lusus damnatus.p.48.& cur.49.

Alternatiua.

In alternatiuis sufficit alterum impleri.p.24.

Antichresis.

Antichresis quid. pag.61.an sit licita.p.62.63.64.65. 66.& 67.vsque ad 71.non caret vsura. p.73. quomodo possit euitari.p.74. quid differat à reuenditione.p.80.quibus casibus permissa sit.p.81.

Assecuratio.

Assecuratio an prohibita sit.p.45.

C.

Calixtus III.

Eius Extrauagans de censibus habetur. p.140. probatur authentica & generalis.p.145.& 146.

Carolus V.

Interdixit vsuras. pag.31. statuit pœnas in vsurarios. p.125.

p. 125. & 129. *quid de censibus.p.*179.*eius constitutio ponitur.* 203.& 212.

Census.

Census quid. & *quomodo accipiatur. p.* 146. *quomodo differat ab vsura & mutuo.ibid.* & *p.*150. *an sit licitus.p.*148. & 150. *quæ ad eum requirantur conditiones.p.*158. 159.170.172.& 176.

*An census possit constitui absque pignore.p.*159.170. 173.& 176.

*Qua moneta census annuus redimi debeat. p.*191. & *qualis valor monetæ sit seruandus.ibid.*

Clericus.

*Clericis interdictæ sunt vsuræ.p.*53.54.& 55. *quæ sint eorum pœnæ.p.*108.109.

*Clericus quando non computet beneficij sui fructus in sortem.p.*81.

Conductor.

*Conductor à locatore impeditus re conducta frui, quale petat interesse.p.*8.

Constantiense Conc.

*Quando, & sub quo celebratum.p.*101.

Contractus.

Quomodo contractus bonæ fidei iuris interpretatione in mutuum degenerent.p. 16. *essentialia contractus non mutantur pactionibus.p.*72.

In contractib.mens contrahentium præponderat.p. 39. *an legem accipiant ex conuentione.p.*172.

Creditor.

Creditor dans mutuum, vt suum debitum extorqueat

an

an peccet. p.6.& 7. licite petit suum interesse. p.7. An pacisci possit aliquid ob periculum quod in se suscipit. p.44.& 49. Tenetur uti re immobili. p.57.

Curatores.

Curatores poterant olim ex pecunia minorum fœnerari p.22.

D.

Damnum.

Damnum emergens an possit deduci in pactum. p.5. An eius ratione peti possit interesse. p.7.

Debitor.

Debitor pro pecunia accepta an licite usuras soluat. p. 34.35.& 36. an sine necessitate possit pacisci de usuris. p.35 & 36. si & ipse usuras exercuerit an possit repetere usuras à suo creditore. p.105.

Debitor agnoscendo debitum nõ præscribit contra creditorem. p.184.

Donatio.

Donatio excedens 500. solidos absque insinuatione an valeat. p.4. In dubio non præsumitur donatio. p.98.

Dos.

An dos salua dari possit mercatori pro lucro. p.50.

E.

Emere emptio & emptor.

Emere minoris vel maioris ob dilatam vel anticipatam solutionem an liceat. p.14.40.41.& 42.

Emptor

Emptor quando licitè rem vilius emat.p.42.
Emptionem quæ perficiant.p.72. & quæ rectè dicatur contrahi.p.148. An si emptioni adijciatur vsura vitietur in totum emptio.p.125.
Emptio sine re non consistit.p.149.quãdo dicatur perfecta.p.172.

Euentus.

Euentus dubius quando faciat rem illicitam. pag.48. & 49.

Exceptio.

Exceptionis natura perpetua est, pag.183. & quare. p.184.

F.

Feudum.

Feudi oppignorati fructus an imputentur in sortem. p.82.vsque ad p.86. quæ seruitia debeat vasallus domino feudi.p.85.
An in Principis camera vel cauena, feudum constitui posit.p.171.

Fideiussor.

An posit stipulari mercedem à debitore pro fideiussione.p.47.& 48.
Fideiussor rogatus fideiubere pro maiore summa & spondens pro minore, an in ea subsistat.p.40.

Fructus.

Fructus qui dicantur.p.59. an percipiantur iure seminis, an soli.p.58.

Fundus.

Fundus.

Fundi empti periculum spectat ad emptorem.p.154.

G.

Gageria.

Quæ dicatur gageria, p.82.

Gener.

Gener lucratur fructus rei pro dote oppignoratæ. pag. 86. & 87.

H.

Hæretici.

Qui dicantur manifesti. p.116.

Heres, Hereditas.

Heres ex defuncti delicto an & quando conueniatur. p.94.

Hereditas pactione alteri relinqui non potest.p.155.

I.

Infinitas.

Infinitas vitanda est.p.181.& 186.

Intereſſe.

Intereſſe quid & quotuplex. p.7. quomodo admittatur ratione lucri cessantis. p.8. quam quantitatem imputare liceat pro 100.p.10 11. & 12. distinguitur & confunditur aliquando cum vsura.p.15.

Iudæi.

Iudæi.

Cogi possunt ad restitutionem vsurarum.p.93.

Iudex.

Quis sit iudex in causa vsuraria. pag.125.126.127. & 128.
Ad quem iudicem spectet peccati notio. pag.127.& 130.
An teneatur Iudex secularis sequi ius Canonicum. p. 129.

Iuramentum.

Iuramentum contra bonos mores non obligat.p.34.
Iuramentum induit naturam contractus cui adijcitur. p.81.
Quis in iuramento adeatur iudex.p.127.

Ius Ciuile.

Ius Ciuile quando cedat iuri Can.p.185.

Iustinianus.

Iustiniani leges de vsuris quid valeant.p.19. An vsuras centesimas abrogarit.p.30.

L.

Legatum.

Legato an possit adijci vsura loco pœnæ. p.22.24.25. 26.& 27.
Legatum annuum an sit vnum? & an eius vna præscriptio.p.188.

Lombardi.

Qui dicantur in Belgio Lombardi.p.21.

P Lucrum.

Lucrum.

Lucrum cessans, an recte in pactum deducatur. p.5.

M.

Martinus Papa.

Martini V. Extrauagans de censibus. p. 133. probatur authentica. p. 145. asseritur contra Holoandrum, p. 151. & 156. probatur non esse localis. p. 146.

Maximilianus I.

Interdixit vsuras. p. 31. quid de censibus. p. 179. eius constitutio ponitur. p. 198.

Maximilianus II.

Eius constitutio de vsuris. p. 214.

Mendacium.

Mendacium vt nociuum. p. 53.

Mutuum.

Vnde dictum. p. 12. quæ ad eius essentiam & naturam pertineant. p. 12. & 73. an ratione mutui licite aliquid speretur. p. 5. & 16.

N.

Nuptiæ.

An pœnæ iuris ciuilis in nuptias incestas, applicandæ sint prohibitionibus Canonicis. p. 122.
Quæ nuptiæ prohibeantur de iure ciuili, & quæ de Canon. ibid.

O.

Olla fortunæ.

Olla fortunæ quid sit, & an licita. p. 40.

P. Pa-

P.

Pactum.

*In alterius voluntatem collatum pactum, an præscriptione tollatur.p.*182.

Peccatum.

*Peccatum ex voluntate metimur.p.*36.

Peculium.

*Peculium quid sit.p.*11.

Pecunia.

*Pecunia natura sua sterilis est.p.*26. 151. *sine peculio fragilis dicitur p.*11.

Pignus.

*Pignus quid sit.p.*115.

*Pignoris fructus imputari debent in exonerationem sortis vna cum damno.p.*55.56.57.*&* 58. *expensas in pignore factas licite repeti.p.*60.

Pius V.

*Pij V. bulla de censibus ponitur.p.*163.*an & quomodo obliget.p.*175.*vsq; ad p.*179.

Prædia.

*Prædia rustica per culturam meliorantur.p.*57. *vrbana per inhabitationem.p.*58.

Præscriptio.

*In præscriptione requiritur bona fides.p.*183.*&* 184.

Pretium.

*Pretium iustum vnde metiendum.p.*42. *& quomodo mutetur.p.*156.

R.

Receſſus.

Receſſus deputatorum Imperij ratione intereſſe in mutuo.p.11.

Redimere.

Redimendi pactum an poßit præſcribi ex parte emptoris.p.180. & 182. Item an ex parte venditoris.p. 186.187.188.& 189.

Retrouenditio.

Retrouenditionis pactum an ſit licitum.p.74. non poteſt fieri in fraudem vſurarum.p.76. An licitum ſit paciſci vt fiat maiore pretio.p.78.

Rudolphus II.

Interdixit vſuras.p.31.ſtatuitq; pœnas.p.125. quid ſtatuerit de cenſibus.179.eius conſtitutio de vſuris & cenſibus.215.

S.

Sacerdos.

Quilibet ſacerdos à quolibet caſu abſoluit in articulo mortis.p.111.

Seruitus.

Seruituti diſcontinuæ præſcribi poteſt.p.187.

Simonia.

Simonia mentalis non obligat ad reſtitutionem.p.96. vſq; ad 104.

Societas & Socius.

Quæ dicatur ſocietas leonina.p.50. in ea non licet paciſci de ſorte ſalua.p.51 ſocius vt ad intereſſe teneatur.p.15.

T. Te-

T.

Teſtari, Teſtator.

Teſtator an poßit grauare heredem vſuris pœnæ nomine.p.23.& 24.
An teſtari poßit vſurarius manifeſtus vel codicillos facere.p.119.& 120.

V.

Vendere.

Vendere pluris ob dilatam ſolutionem an liceat. p. 37. 38.39.41.& 81.
An talis venditio tota infirmetur.p.39.& 40.
Venditor tenetur ad reſtitutionem eius quod accipit vltra iuſtum precium.p.40.
Venditio ſine re non conſiſtit.

Verbale.

Verbale nomen an in vno actu verificetur.p.114.

Voluntas vltima.

An poßit committi in ea vſura.p.26.27.

Vſurarius.

Vſurarius quis dicatur.p. 115. quis manifeſtus.p.92. 112.& 114.quibus pœnis afficiatur.p.93. 108.109. vſq; ad 117.tenetur ad reſtitutionem.p.92. & 93. imo & eius hæres.p.93.
Quorum ſint res vſurariorum ex vſuris comparatæ.p. 104.& 106.

Vſuræ.

Vſuræ etymon.p.2. eius ſignificatio. ibid.eius diſcrimen

inter ius Can.& ciuile.ibid. quot modis accipiatur. p.4.describitur.ibi.& p.5 solo conceptu animi committitur.p.6. In quo consistat.p.6. circa quid committatur.p.12.13.& 25.& 39.

Vsuræ aliæ sunt lucratiuæ aliæ compensatoriæ. p.14. quo iure vsuræ sint interdictæ.p.17.19. 20.21.28. & 29. habentur pro hæreticis qui negant vsuras esse peccatum.p.17. An vsuræ ex vltima voluntate debeantur iure Can.p.22.

Quæ dicantur vsuræ centesimæ, besses, semisses, &c. p.29.

Vsuræ etiam ob piam causam prohibitæ.p.32.& 33.

Vsuræ nauticæ quæ dicantur.44.à iure ciuili permissæ, non plane sunt sublatæ per ius Canonicum.p.47.

Vsura mentalis an sit restitutioni obnoxia. p.98.99. & 100.

Vsusfructus.

Vsusfructus recte emitur.p.149.

Laus Deo, Virginiq;
Matri Mariæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata in tit. de Decimis.

Pag.	*Lin.*	*Error.*	*Correctio.*
28	15	midium	medium
ibi.	16	ragumentum	argumentum
37	28	ſues	ſuis
42	12	puuilegium	priuilegium
ibi.	17	no poteſt	non poteſt
88	26	&	eſt
121	9	vſurpantum	vſurpatum

Errata in tit. de Vſuris.

Pag.	*Lin.*	*Error.*	*Correctio.*
10	15	ſalſam	falſam
18	14	eademſententia	eandem ſententiam
20	11	cõmunicatum	communitatum
41	18	nauigandi	nauiganti
45	13	accreſendo	accreſcendo
73	28	cuiudem	cuiuſdam
76	vlt.	duabus	duobus
81	1	caſus	caſuum
88	1	Alij quod	Alij putant quod
93	17	oblatum	ablatum
104	7	tamtetſi	tametſi
113	5	regiminis	regimini
ibi.	6	immerito	immeriti
146	5	eus	eius

Cetera ſi quæ ſint corrigat Lector.

Digitized by Google